



BIBLIOTHE-  
CA CARTVSIANA,  
DE SCRIPTORIBVS  
*S. Cartusiensis Or-  
dinis.*

**B**EATISSIMVS BRVNVS obiit in Câ-  
no, sacri Cartulien- labria, Anno  
sis instituti primus <sup>1101. relatus</sup> in numerum  
auctor & ARCHI- <sup>SS. à Leo-</sup>  
TECTVS, natione <sup>ne X.</sup>  
Germanus,

patria  
Coloniensis, diuini numinis auspi-  
cio suum auspicatus Ordinem, an-  
no redēpti Orbis millesimo octo-  
gesimo quarto, circa Diui 10 AN-  
NIS BAPTISTAE natalem. Migra-  
uit vero ad Christum anno M. C. I.  
relatus in numerum Sanctorum à  
LEONE X. anno superioris seculi  
quarto, vel quintodecimo. De cu-  
ius scriptis suo agitur loco.

**A**DAMVS N. Cartusianus, Doctor <sup>Vixit circa</sup>  
Theologus, quem à Ioannes Mola- <sup>annū Dom.</sup>  
nus adserit vixisse circa annū Do- <sup>M. CCC. XL.</sup>  
mini quadragesimum suprà millesimum  
trecentesimum, ac vitam B. HVGONIS <sup>a In Notis</sup>  
Episcopi Lincolniensis, itidem Cartusia- <sup>ad martyri.</sup>  
17. Novemb. <sup>vñhard. die</sup>

A  
nī conti-

ni conscripsisse; quam tamen nō arbitror  
me conspexisse vnquam. Habemus qui-  
dem penes nos huius sanctissimi Præfulis  
vitam manuscriptam, pergameneam,  
quinque distinctā libris, verum illorum  
authorem crediderim esse Archidiaconum  
quēdam Ecclesiæ Lincolnieñis: qui  
cum B. HUGONE circa annum Domini  
millesimum centesimum nonagesimum  
familiariter admodum conuersatus, illa  
qua de eius eximijs virtutibus, rebusque  
præclarè gestis oculis auribusque hause-  
rat, ad posteros transmisit, nisi fortè ex  
Archidiacono factus sit Cartusianus, aut  
vice versa. Sic autem in Procœmio ait: *Quæ  
de Viro beatissimo HUGONE Lincolnienſe  
Præfule vidi, audiui, & certius cognoui, ad sub-  
ſidium memoria literis commendare statui. De  
quo equidem authore ita alibi Sutorius  
notiter: b Peculiarius, inquit, ac latius huius  
admirabilis viri (B. Hugonis) gesta omnia  
est. Præsertim cum ea ipsa voluminibus multis,  
maxime in eis quæd Archidiaconus Lincolnien-  
sis de sanctis mirandisque actibus ac miraculis*

*e Predicte Ti- eius confecit, contineantur. Itaque aliunde  
gwi apud in dagandum erit, quis nam hic nostri in-  
Corijephon- ſtituti ADAMVS sit, à quo B. Hugonis  
rū Frojone- vitam fuisse conscriptam memorat Mo-  
rū, an. 1, 83. lanus. Ceterū in Epitome Gesnerianæ  
fol.*

Biblio-

Bibliothecæ, per Ioham Simletum edita,  
sic lego: ADAMVS Cartusianus, Anglus,  
Theologia Doctor, scriptor vitam S. Hugonis  
Lincolniensis. Item de patientia tribulationū,  
de sumptione S. Eucharistia. Dialogum inter  
rationem & animam, seu soliloquium de in-  
stitutione animæ lib. i. qui tamen Adamo Ci-  
stertiensi à quibusdam adscribitur. Vixit an-  
no 1340. Hæc ibi.

ADRIANVS N. professus Montis *Adrianus  
S. Gertrudis in Hollandia, vir fuit diui-  
narum humanarumque literarum cogni-  
tione apprimè instructus, ac SS. Theolo-  
giae Doctor profundissimus. Cuius etli  
neque Trithemius, neq; Possevius men-  
tionem ullam faciat ( incertum namque  
quando vixerit) Bostius tamen cap. quartodecimo , nec non & Petrus Sutor libr.  
2. vitæ Cartusianæ, capite 7. magna cum  
laude eius meminit. Sutoris quippè ver-  
ba sunt hæc: Adrianus sacra pagina Doctor  
prefrantissimus, & humanis quoque literis no-  
biliter doctus, vita sanctimonia spectabilis, &  
zelo animarum admodum feruidus, animad-  
uertens sapientia thesaurum nō sibi pro se dun-  
taxat, sed vt ceteris impertiretur, collatū fuisse,  
diligenter curauit & verbo praesentes instrue-  
re & absentibus posterisque prodesse. Edidit  
namque insigne opus de utriusque fortu-  
næ remedij, duobus distinctum libris. In*

quorum primo discipulus suam iactitans felicitatem, gloriatur de prospero rerum muridianarum successu, magistro interim ad omnia respondentem, ac validè comprobante, res omnes sublunares non solum fallaces esse quia dubiae, verum etiam insidiosas, quia dulces, &c. In secundo vero libro discipulus per modum lamentationis conqueritur de mundi aduersitatibus, & Magister super hoc proponit tenuioris fortunæ hominibus saluberrima salutis æternæ remedia, ne in desperationis incident barathrum. Prodiit hoc opus Coloniae Agripinae, apud Arnoldum ter Hoerten, An. Domini millesimo quadrageentesimo septuagesimo primo. Ceterum tam Dorlandus quam Sutorius referunt Adrianum hunc etiam alia nonnulla ingenij sui monumenta ad posteros transmisisse; quorum tamen nihil ad manus peruenit meas, sicuti tieque de auctoris ètate quidquam apud alias reperi potui.

Obiit anno  
1466.

AEGIDIUS AVRI FABER, Vicarius domus montis Sion, in Zelandia propè Zirizæam, vir tum doctus, tum deuotus, tumque etiam spiritualitus laboribus intentus, pecuniam more serui nequam sudarib inuoluere, atq; inertis feso otio tradere (quod vitiorum omnium formes est) noluit.

## CARTVSIANA.

voluit. Itaque multiplicatum Domino talentum referre, & suo cognomini respondere satagens, aurea fabricatus est opuscula. In quibus est opus singulariter deuotum de CARTVSIANA laude: in quo frequenter Deo gratias agendas, & nunquam dissimulandam esse obligationem inculcat. Extant eius etiam sermones de Tempore & Sanctis per totius anni circulum. \* Opus iridem exemplorum, utile ac citatur splendidum velut aurum. Tandem post multa ab eo fabrefacta, terras gustata morte relinquens, cœlestè templum ex auro & geminis, à Summo opifice fabricatum, adiuit: anno nimirum sexto & sexagesimo postmille quadringentos. Hæc ferè totidem verbis Sutor lib. 2, vita Cartus. tract. 3, cap. 7, pag. 572. Louaniensis editionis, Agit & de eodem Bostius, capit. viigesimo sexto de viris illustribus Ordinis Cartusiensis; adeo vt mirum sit, tam Tri-themium quam Posseuinum nullam tantum viri suis in scriptis mentionem habuisse.

AEGIDIUS GVTMAIER, profes  
fus domus Buxiae in Suevia propè Mem-  
mingam, scripsit nuper carmine non in-  
leganti librum de moribus & vita veri  
Monachi, aduersus monasticæ vita  
Jumniatores. Cui adiecta sunt duo insu-  
per alia eiusdem auctoris sacra poëmatia:

A 3 que-

<sup>subinde à</sup>  
Ioanne Ma-  
iore S. I. in  
Speculo ex-  
emplorum:

1608.

quorum alterum continet PLANCTVM  
Beatiss. Virginis MARIAE, & votum ad  
eandem: alterum est, pro fælici obseunda  
morte. Potestq; hinc colligi quantum in  
arte poëtica valeat præfatus hic Pater, si  
animum pijs conscribendis versibus se-  
fiò cupiat impendere. Prodiere autem  
quæ superiùs commemorauimus, Augu-  
stæ Vindelicorum, apud Christophorum  
Mangum, anno 1607. dedicata nimirum  
istius eiusdem loci Antiftiti.

*Obiit Wes-  
tle anno M.  
ccc. XLIX.  
Maij 17.*

ALBERTVS ARNHEMIVS, cognome  
mento KIVEr, fuit senior professus Car-  
tusiæ VVesalientis, vir nimirum antiquæ  
virtutis & fidei, miræq; innocentia, non  
eit ille de quo Dorlandus libro quinto  
Chron. cap. 13. Etsi enim vterque eius-  
dem fuerit patris, tamen Kinetum hic  
VVesaliæ vixit, alter verò in patrio suo  
solo, Cartufianorum Prior extitit, ni-  
hilque (quod equidem sciam) literarum  
ad posteros transmisit: cùm hic noster  
insignia collegerit sui æui exempla, illæ  
que in vnum volumen congesserit, dis-  
sectum in septem distinctiones, & in To-  
mos duos diuisum, quod Referendarium  
exemplorum indigitavit. Cuius

*r. Prima distinctio, de Venerabili Sacra-  
mento agens, xciiii. complectitur  
capita.*

- |   |    |
|---|----|
| <i>Secunda</i> , De Sancta Cruce xxxix. nouem   | 2. |
| habet capita.                                   |    |
| <i>Tertia</i> , de B. Virg. MARIA, capita xcii. | 3. |
| <i>Quarta</i> , de Natiuitate Domini, capita    | 4. |
| LXXXVI.   |    |
| <i>Quinta</i> , de Virtutibus, capitæ lxi.      | 5. |
| <i>Sexta</i> , de Virtijs, capitæ cXLVII.       | 6. |
| <i>Septima</i> , de Defunctis, capitæ LXXXIII.  | 7. |

Solet hic liber M.S.adseruari apud Cru-  
ciferos Ruræmundenses: Obiit verò au-  
ctor anno Domini 1449. ætatis 80. pro-  
fessionis 60.

ALPHABETARIVM diuini amoris,  
vide IOANNES EGÉN.

AMBROSIVS ALENSENIVS scri-  
psit librū vel Tractatum, qui intitulatur *maria anno  
Fædus Christianum*: quem Auguste Vindel-  
licorum an. 1504. in 4. impressum, adser-  
uat bibliotheca Cartusiæ Buxianæ propè  
Memmingam celebre Suevorū oppidum.  
Fuit verò Prior domus horti Christi, &  
Visitator Provinciæ Alemaniæ inferioris.

ANAGRAPHÆ de Origine CARTV-  
SIANI ORDINIS versibus hexametricis  
descripta in minori clauistro Cartusiæ Pa-  
risiensis, prodijt ibidē in officina Sebastia-  
ni Niuelli an. 1551. pulchro nimirū chara-  
ctere, in 4. Cuius tamen authore credide-  
rim fuisse ZACHARIAM Benedicti, Vicé-  
tinū, professū domus Venetiarū, qui vixit

anno Domini 1508. Tunc namque illud  
Idem carmen dedicauit P. FRANCESCO  
à Puteo, xxxiiii. Ordinis Generali, re-  
periturque ad calcem operum Diu Brv-  
NONI<sup>s</sup>, nonnullis tamen immutatis.

ANONYMI quidam, vide in nomine  
HAMMANVS. Fuit & alius quidam sine  
*Anno 1461.* nomine in Cartusia Herbipoleasi, quem  
author indigitat, *reuocationem verbi in animam*, qui meras aspiratioes, preces ignitas  
ac deuota suspiria continet. Idem etiā ar-  
gumenta in Psalmos ex passione Domini  
desumens, ad euitadas euagationes men-  
tis, & stabiliendum animum in psalmo-  
dia perutiles collegit Psalterij titulos,  
quorum inscriptio hæc est: *Incipiunt tituli  
Psalterij de passione Domini, cuiusdam Patri  
deuoti in Cartusia horri Angelorum prope Vir-  
ceburgum, anno 1461.* ibidemq; etiamnum  
manuscriptus adseruatur,

ANDREAS CAPELLA, Valentinus,  
cūm ante Ordinis ingressum celebris  
fuisse in Societate Iesu S. Theologiæ  
Doctor, tandem ab illis ad Cartusianos  
deficiens, in Domo *Scala Dei*, quæ est Dia-  
celis Tarragonensis, per solennem profes-  
sionem diuino senumini dedicauit. Dein  
verò urgente Rege Catholico Philippo  
II. Vrgelensis factus est Antistes.

Scripsit verò Commentaria in Hiero-  
niam

intam Prophetā, quibus latinum vulgatæ  
editionis textum exponens, eundem cum  
Hebraici fontis origine, septuagintaque  
interpretum translatione, nec non &  
Chaldaica Paraphraſi, laboriosè non mi-  
nus quam eruditè confert. In citanda  
porrò Lxx. Interpretum editione ſe-  
cūtum ſe fatetur exemplar Bibliothecæ  
Regiæ, quod cum Complutensi conue-  
nit, quamuis haudquam ignoraret, di-  
uerſum eſſe ab eo, quod Diuus ſeçutus eſt  
Hieronymus. Agnoscit verò Paraphraſi  
Chaldaicam, quæ in eodem exſtat re-  
gio exemplari indignam, cui fides habeat-  
ur; quippe cūm in alijs ſacræ Scripturæ  
libris, preterquam in Pentatecho corru-  
pta ſit, & fabulis, merisque Talmudita-  
rum nugis conſpersa. Quamobrem etiam  
in Complutēbus Biblijs consulto omiſ-  
ſa eſt. Porrò, Commentaria hæc in quaſa  
parte folij edita ſunt in præfatâ *Scala Dei*  
Cartusia, ab Huberto Gotardo, An. 1586.  
Edidit quoque Hispanico idiomate an-  
no 1575. Meditationes breues quidem,  
ſed ſucci plenaſ in totius anni Euangelia,  
necnon & Manuale Exercitiorum ſpiri-  
tualium, quæ deinde anno 1607. latinè  
reddidit D. Anthonus Dulckenius, im-  
preſſas Coloniæ apud Conradum Butge-  
niū in duabus partibus, dedicatas ni-

mirum moderno Reuer. Patri Generali  
D. BRVNONI Daffringues. Ceterum  
idem Reuerendiss. ANDREAS CAPEL-  
LA Commentariolum quoq; in passionē  
Domini conscripsit, ac Ioan. LANSPER-  
CII librum ad fidelem animam ē latino  
Hispanicum fecit. Viuit verò etiam nra  
hoc anno 1608. estque non solum Vrge-  
lensis Ecclesiæ Antistes, sed & Domus  
Portæ Cœli, quæ propè Valentiam est.  
Præfектus, seu PRIOR.

*Vinis etiam-* ANTONIVS DVLKENIVS Agrip-  
num in Vbijs pinas, in primo iumentutis flore, post Phil-  
ippina M. DC. Iosophici studij decursum, mudo renun-  
cians, Cartusiam patrio in solo constituta-  
tam, anno virginæ partus 1599. est ingre-  
sus: vbi rerum diuinarum commentatio-  
ne, ac deuotorum libroru peruvolutatio-  
ne strenue se se exercitans, sequentia hæc-  
ce opuscula, materno ab ipsis auctoribus  
idiomate conscripta, ingenti piorum ho-  
minum cum profectu, latinis auribus de-  
dit. Nempè;

8. R. di P. F. Christophori Verruchini  
Capuccini, centū Meditationes, de præci-  
puis spiritualis vite mysterijs. Col. apud  
Conradū Butgenium, An. 1605. in fol. 12.  
Quæ editio quoniā multis mendis defor-  
mata est, monet interpres aliam, quæ iam  
paratur expectandam, & pro legitima ha-  
bendam.

Bar-

Bartholomæ Salutij, Ordinis S. Fran-  
cisci de Obseruantia, *Lucem animæ ad per-  
fectionem anhelantis*: opusculum sanè egre-  
giè pium, & in quatuor partes distin-  
ctum, quarum tres priores sub præfato ti-  
tulo, Anno 1606. Coloniz apud Ioannem  
Crithium in 12. quarta verò sub hoc titu-  
lo, *Paradisi contemplatiuorum*, Anno 1608.  
apud eundem prodijt.

R. P. Petri Alcantarae Hispani, Ordinis  
Discalceatorum, *De Oratione ac Meditatio-  
ne*, libellum verè aureum. Colon. apud Io-  
annem Crithium in 12. anno 1607.

Meditationes Reuerendiss. P. D. An-  
dreæ Capellæ Cartuliani, Episcopi Vr-  
gelenfis, in Euangelia totius anni, tam de  
Dominicis, & festiuis, quæ singulis Qua-  
dragesimæ diebus, in tres partes distin-  
ctas. Coloniz apud Conradū Butgenium.  
Anno 1608.

Eiusdem auctoris Manuale Exercitio-  
rum spiritualium. Ibidem, apud eundem.

Responsionem Cardinalis Bellarmini  
ad tractatum septem Theologorum Ve-  
netorum super interdicto S. D. N. Papæ  
PAVLI V. Cui alia duæ eiusdem Cardina-  
lis respōsiones adiūctæ sunt, quarū priori  
F. Pauli ordinis Seruitarū, posteriori Io-  
annis Marfilij oppositionibus respondet.  
Col. apud Bernard. Gualth. An. 1607. in 8.

R. P. Fran-

2.

3.

4.

5.

6.

7. R. P. Francisci Bonaldi Societatis Iesu Theologi, *Stellam Mysticam, omnibus ad optatum æternæ beatitudinis portum appellere desiderantibus, viam commonstrantem.* Coloniae apud Conrad. Butgenium anno 1607. in 12.
8. R. P. Lucae Pinelli è Societate Iesu, Exercitia spiritualia quadraginta, de Sacro sancto Eucharistio Sacramento. Coloniae apud Ioannem Crithium. Anno 1608. in 12.
9. Eiusdem auctoris *Meditationes de Passione Domini, de quinq; Christi vulneribus, de Rosario B. Virginis, de septem vitijs capitalibus & virtutibus illis oppositis.* Ibidem, apud eundem.
10. Francisci Ariæ Societatis Iesu, de Oratione mentali lib. tres. Coloniae, apud Ioannem Kinckium. Anno 1608. in 12.
11. Eiusdem auctoris *Tractatus de Rosario B. MARIAE Virginis.* Ibidem apud eundem.
12. R. P. Gabrielis Inchino Canonici Regularis Lateranensis *Conciones vberes de quatuor nouissimis.* Coloniae apud Ioannem Crithium. Anno 1608. in 8.
- Progredivit vero etiamnum in eadem pliorum libellorum interpretandi, perutili palæstra præfatus D' V L C K B<sup>L</sup>  
NIVS,

NIVS, adeò vt etiamnum plura quotidiè perget cedere. Quod vt diu saluus beneque incolumis præstet, magnoperè opendum.

ANTHONIUS Menna, Cremonensis, *Vixit adhuc ex Cappuccino factus Cartusianus, ac Ru. in Lotharinianæ domus professus, scripsit idiomate gliaan. Dom. Gallico EXEMPLAR Christianæ perfectionis, ad utilitatem & profectum tum eorum qui probè pieque (vti bonos cum primis decet Christianos) vivere cupiunt, tum eorum qui ad maiorem perfectionis gradum anhelantes, ad Diuini muninis cognitionem fruitionemque peruenire desiderant. Estque hoc opus tribus distinctum partibus. Quarum prima de charitate pertractat; Altera, de dispositione animæ ad obtinendam conseruandamque charitatem. Tertia, de donis S. Spiritus: dignum planè quod quis latino donet idiomate.*

ANTHONIUS SVRIANVS ex nobili Suriana Venetorum prognatus familia, Cartusianæ familiæ ibidem nomen dedit. Verùm Veneti suo destituti Patriarcha, hunc ex cellæ solitudine extractum, sibi de consensu Romani Pótificis præfici petièr. In cuius inaugurationem Franciscus Philomusus, insignis æui istius orator, celebrem habuit panegyricam: cuius non-

a Lib. 7. cap.  
37. nonnulla fragmenta in Chronico & Petri Dorlandi reperiuntur, aliaque nonnulla ad tanti viri laudem facientia: adeo ut mirum sit, nullam illius tam apud Botstium, quam Sutorem mentionem fieri. Cuius tamē cum laude meminit Leander Albertus in descriptione Italiz. Quid vero librorum ad posteros transmiserit, hisce indicat verbis b Possevius:

b In apparatu sacro. **A N T O-**  
**N I V S S V R I A N V S** nobilis Venetus, & Patriarcha, Venetiarum librum reliquit de interiori informatione, & alterum de vita contemplativa. Alium item de solitudine. Quo autem anno ex hac vita emigrauerit, nusquam me legisse memini, nisi quod Leander dicit, anno Domini quarto superā millesimum quingentesimum Venetorum illum Patriarcham designatum fuisse.

**F**init etiam-  
num in Sue-  
cia anno  
1607. **A N T O N I V S V O L M A R V S**, Sarbur-  
gensis, professus Cartusiæ Astheimensis,  
transtulit ex Gallico idiomate in Latinum,  
aureos planè libellos F. Mathiae Bel-  
lantani, Capucini, qui ab auctore ipso  
Italice conscripti, Præctica orationis men-  
talis, seu Contemplativa nuncupantur. Ce-  
terum latina editio Constantiaz Helue-  
tiorum anno millesimo sexcentesimo  
septimo, typis Nicolai Kalt prodit, duobus  
nimirum opusculis in 12. suntque Re-  
ueren-

terendiss. ac Sereniss. Principi Maximili-  
ano, Archiduci Austriæ ab interprete  
dedicati. In quorum commendationem  
(sunt namque omni commendatione di-  
gni) non nemo hosce cecinit versiculos.  
*Decrescit pietas, librorum copia crescit;*

*Exiguumq; labor maximus, edit opus.*

*Vnicus at postquam rectè liber iste legetur,*

*Augeſet pietas, deficienq; libri.*

*Quin & opus ipsum Lectorem hoc modo  
alloquitur:*

*Ars contemplantis, Lector, sum præctica vita;  
Sic etenim me a me pagina prima vocat.*

*Quod contemplari Diuos, diuinaz, possum.*

*Te doceo diuum, Diua Magistra modum.  
Quam benè vis ergo Diuos, diuinaz, nosse,*

*Tam benè, quod doceo Diua Magistra lege.*

Porrò quia operis huius, hisce maximè  
in partibus, magna est raritas, idcirco iam  
nunc Coloniæ recens in officina Gual-  
theriana paratur editio: quam nundinis  
vernaliibus anni 1609. in lucem prodi-  
ram speramus.

**A R N O L D V S H A V E N S I V S** ex honesta Praef etiā-  
Buscoducensium familia, anno quadrage- num caru-  
fimo suprà sesquimillesimum natus, pri-  
jorū illic literarum Rudimentis à teneris  
vnguiculis incubuit. Est etenim B v s-  
c o d v c v m vti vrbs ex quatuor Bra-  
bantiaz, primarijs vrribus vna at longè  
muni-

munitissima, sic & celebri ludo literario, magna que ciuium & præstantissimorum ædificiorum frequētia, nobilis. Itaque patrio relicto solo, Coloniam petens, ibidem studiorum suorum encyclopædiā cùm fœliciter absoluisset, Societatis Ies v. institutum anno Domini 1558. est amplexus, nihil non agens quo posset omnes ad diuini numinis cultum, tum efficacissimis cōcionibus, tum doctissimis in scho- lis lectionibus, prouocare. Quenadmodum in dedicatoriâ nostrâ, Paræneticæ MARTINI LAVDANENSIS epistolæ prefixa, vberius à nobis est dictum. Porro anno 1573. sacrae Theologiæ Doctoralem promeritus lauream, ac Colonensi Patrū Collegio aliquantò post R E C T O R designatus, cùm iam aliorum promouendæ saluti per antios circiter septem & viginti pro viribus incubuisset, volens aliquantò accuratiùs suæ quoque ipsius perfectioni incumbere, cœpit Louaniësibus sese Cartusianis iungere, ac solitariam vitam solemnni voto profiteri, idque anno Domini 1586. Cæterum cùm Superiores prudenti Patrum Concilio decernerent, non esse fas talem tantamq; lucernam sub modio diutius delitescere, prefecerunt eum Cartusia Buscoducensi, inde verò successuè Leodicensi, Louaniensi, Bruxellensi, imò & toti

& toti Prouinciaz, adeo vt Visitatoris functus officio, quām optimè de Ordine vniuerso sit meritus. Nactus verò paululùm quietis, etiam scriptiō manus cœpit ad mouere. Vnde Historiam Cartusianorū Ruræmundensium, qui ibidem anno Domini 1572. crudeliter religionis ergo interempti sunt, compendiosè recensuit. Cui & adiunctum est Martyrium Patrum nostrorum Anglorum; In quo utrumque est laboratum; tam scilicet à Patre Hauëfio, quām à Patribus nostris Herbipolésibus. Qui dolentes penes paucissimos rei huius tam crudeliter gestæ historiæ reperiri, artificiosas aliquot æneas curarunt sculpi laminas, vt lectori magis suum cōprobarent promouendæ pietatis studium; dedicantes quodquid hinc inde laboratum est, Reuerendiss. ac Sereniss. Archiduci MAXIMILIANO, hoc nimirum titulo, INNOCENTIA ET CONSTANTI A VICTRIX, Quod & prænomina-  
tus Pater Arnoldus ratum gratumque habuit. Qui etiamnū sub calamo presit, ac tantum non promit hæc quæ sequuntur.

*De crudelitate ac moribus tam antiquorum, quām depravati huius seculi hereticorū erga Catholicos. Prodiit Coloniæ in 8. An. 1608. apud Seruatium Effers, vocaturque speculum heretica crudelitatis.*

2. De erectione nouorum in Belgio Episcopatum; & maximè de scriptis ac rebus benè gestis à duobus Reuerendiss. Ruræmundana vrbis Episcopis, Guilielmo nimirum Lindano, ac Henrico Cuykio.
3. De solitaria vita præstantia simul ac utilitate, ubi per varia exempla, & testimonia tam domesticorum, quam aliorū plurimorum sanctitatem ac doctrina illustrium virorum demonstratur, quam sit anima proficuum, sacra solitudinis studio incumbe.

Quas quidem Hauenianas lucubrations propediem in lucem prodituras, omnino confidimus: nisi domesticę forsitan occupationes (agit namque hoc tempore Gandensis PRIOREM Cartusia, illiusq; instaurational operam impendit suam) hunc nobis fructum diutiū æquo inuident.

## B.

*Obiit in Cartusia Colon. anno 1446. quarto Idus Julij.*

BARTHOLOMAEVS Ruræmundanus Cartusia Prior, Traiecto ad Mosam oriundus, ante Ordinis ingressum publicus S. Theologiæ Professor exitit, & diuinarum literarum interpres cum primis celebris. Quippè qui ab ineunte ætate literis tam humanis quam diuinis gnauiter imbuendum sese tradiderit, neque à proposito destiterit, quo adusque ad virtutisque fastigium concendi posset

posset Reipublicæ adserre vberiores, vitæ politicæ Ecclesiasticam, cōmuni monasticam præstulit. Quatenus coniuncta cum eruditone pietate, securè meditari posset ea, quæ non suæ modo, sed & plurimorum etiam saluti conductura furent quam maximè. Vnde ne iners aut ingratus euaderet, literarum monumens ea consignavit, quæ posteris prodesse valerent. E quorum numero, quæ penes nos habemus, hæc sunt.

1. De passionibus anime.
2. De virtutibus.
3. De septem peccatis capitalibus.
4. De Oratione.
5. De Oratione longa & deuota.
6. Tractatus excitans ad deuotè celebrandum.
7. De excellentijs B. Virginis MARIÆ.
8. De humilitate.
9. De omnibus Sanctis.
10. De fraterna correctione.
11. Instrucción quo pacto religiosus in publicu se habere tractatibus debeat.
12. Liber collectaneorum ex diuersis SS. dictis.
13. De auctoritate Concilij supra Papam.
14. Sermones septem utilissimi de obediencia, humilitate, dilectione, paenitentia, & Oratione.

Opera ipsius  
quæ in Cola-  
mensi adser-  
mantur bib-  
liotheca.

15. *De laudibus religiosorum, obseruatione-  
que silentij.*

16. *De non esu carnium apud Cistercienses.*

Cæterum si quis plura de hoc insigni  
viro eruditionis virtutisque testimonia

<sup>a</sup> De script. desiderat, is cōfusat <sup>a</sup> Trihemium, <sup>b</sup> Bo-  
Eccl. stium, <sup>c</sup> Sutorium ac Dorlandum; quo-

<sup>b</sup> Cap. 23. de viris illustri. rum hic libro septimo Chronicis, capit. 5. Ordinis Car- dicit eum tantæ fuisse humilitatis, ut ali-  
tus. quoties pedes ad Maiorē Cartusiam (erat

<sup>c</sup> Lib. 2. vi-  
se Cœrus. siquidem suæ Visitator Prouinciaæ) iter

Tract. 3. cap. remotissimum confecerit, quod vix in  
7. pag. 570. iuuenie quopiam Prælato, quantumcun-  
que etiam valida habeat crura, hoc tem-

pore conspicias, ne dum in tam affectæ  
etatis ac venerandæ canicie sene. Obiit  
verò in Cartusia Coloniensi anno restau-  
ratæ salutis quadragesimo sexto suprà  
millesimum quadringentesimum, quar-  
to Iduum Iulij: Cuius Tractatus aliquot  
tam Trihemius quām Posseuinus recen-  
set, præter illos quos superiùs commemo-  
rauimus.

*Vita funeris* B A S I L I U S Maioris Cartusiæ PRI-  
est circa an-  
num Domini  
1173. die 14. Iulij.  
a 1. libr. 4. Chron. Car-  
tus. cap. 14. pag. 201.  
OR octauus, multa scientia præclarus, ex-  
imijsque præstantissimarum virtutū do-  
nis cumulatus, Ordinis GENERALA-  
TVM tres & viginti annos (<sup>a</sup> Dorlandus  
non nihil supperaddit) prudenter admi-  
nistrauit. Multas proinde etiam Constitu-

tutiones, ad Ordinis cōseruationem per-  
tinentes, edidit. Quin & plurimos linguā  
calamoque ad rerum mundanarum con-  
temptum prouocauit; adeo vt egregijs  
laudum præconijs eum cōcelebret Petrus  
Abbas Cluniacensis, vir re, & nomine Ve-  
nerabilis: maximè epist. 41. lib. 6. vb eius  
visendi desiderio inflammatus, ita inter  
cætera scribit: *Volo charissime scire, affe-  
ctum illum meū, quo montana vestra* (in qui-  
bus Maior Cartusia sita est) *adire decreue-  
ram: magis caussa te visitandi, quam locum, li-  
cet S A N C T V M, videndi fuisse. Non fue-  
ram, nec sum immemor, quanto me semper  
affectu colueris, quam deuoto ac sincero animo  
ab ipsis adolescentia tua annis, ad diuina anhe-  
laueris, &c. Verum iam nunc constituit te Deus  
in gradu illo vita, quo altior alius, aut vix  
aut nusquam appetet. Ea de caussate inuisere,  
& profectui tuo quo violenter Dei regnum ra-  
pere contendis, proposueram congaudere. Hæc  
ille. Cæterum Dorlandus commemorans  
ea quæ ab hoc Patre B A S I L I O literarum  
conscripta sunt monumenta; Edidit (in-  
quit <sup>b</sup>) præter alia de laude solitaria vita fa-  
cundissimæ sapientiæ Epitomen, in qua breuifor-  
mone mirum in modum vitam eam commen-  
dat. Itaque cum præclari regiminis exem-  
plum, & suæ quoq; vitæ monumenta po-  
steris reliquisset, tandem deficiens in sene-*

Etute bona, post labores sudoresque sacrae militiae exantlatos, migravit ad Dominum circa annum virginis partus millesimum centesimum septuagesimum tertium, non sine insigni miraculorum gloria, quae sanctitati illius testimonia perhibuerunt. De quo si quis plura delideret, \* Dorlandum legat, loco ad marginem adsignato, nec non & NOTAS nostras in eundem. Similiter & Petrum Sutorum cum d Arnoldo Bostio.

\* Lib. 4. cap. 14.  
c Lib. 2. vi. te Cartus. pag. 15.  
d Cap. 5.

BENEDICTVS OSANNA, Mantuanus, cuius duntaxat nomen apud unum repperi Posseuinum, qui apparatus sui Tomo secundo de HENRICI HARPHII scriptis differens, inter cetera ita ait: Secunda pars qua prae notatur, Directorium aureum contemplatiuorum, agit de vita attiva preparacione, atque ornatu, & de amabili ad DEV M conuersione, &c. Qua quidem secunda pars ab auctore Germanice conscripta, & deinceps latinitati donata a Petro Bloemenuenna (fuit autem is Cartusia nostrae olim Prior) tandem Italicè versa, plures ante annos minus aptè, ac sine ea qua omnino erat necessaria, prævia face, sive introductione, sed nouissimè BENEDEICTVS OSANNA, Mantuanus, qui ad CARTVSIANVM Ordinem probus iuuenus accessit, utrumque accurate vertit, vt si quis hanc partem

rem versare voluerit, eam commodius fit percepturus. Hæc ille, vtpotè Mantuanus de Mantuano: licet nos hic in medio Germanie sinu constituti, nihil de hoc Osanna habeamus amplius, vtrum etiamnum in viuis sit, & ubi locorum degat,

D. BERNARDVS Abbas Claræ- Ingressus est uallensis, Sanctissimum hunc virum, et Ordinem . . . si professione Cisterciensem, nostris ta . . . sterciens. an men ad numerare Cartusianis ideo operæ no 1113. pretiū fuit visum, quod is in maiori Cartusia familiariter aliquando conuersatus (dicitur enim etiam hoc tempore \* illic in pretio haberet cellula illa, in qua rerum diuinarum commentationi vir talis tantusque incubuit ) auream illam ad nostros, nempè fratres Montis DEI scripferit de Vita solitaria Epistolam: cuius initium: Fratribus de Monte Dei, Orientale lumen, & antiquum illum in religione Aegyptium feruorem tenebris occiduis & Gallicani frigoribus inferentibus, vita scilicet solitaria exemplar, & cœlesti formam conuersationis. In qua quidem Epistola ( nisi Tractatum malimus appellare ) CARTVSIANORVM professionem dicit esse altissimam, atque angelicæ similem puritati, adeo ut cœlos transeat: quippe cum cellæ habitatio ac cœli cognata sint. Quin & in epist. II. ad CARTVSIENSES,

\* vel potius  
in Cartusia  
Montis Dei.

& G V I G O N E M Quintum ordinis GENERALEM, miris laudum præconijs ordinem hunc nostrum extollit. Similiter & in gratiam BERNARDI PRIORIS Cartuſæ Portarum, sua illa diuina in Salomonis Canticum scriptis commentaria, vbi constat ex eiusdem epiftola 153. quem ita de suis virtutibus Innocentio Papæ commendat, vt dignum ſuo eum calculo iudicet, qui è latebris exſtractus, ſupra Epifcopalis dignitatis candelabrum conſtituatur. Sic enim habes epiftola 155. Cæterū quām familiaris idem B. BERNARDVS Clarauallenſis Patribus noſtriſ, in Maiori Cartuſia degentibus, fuerit, liquido oſtendit authori vitæ eius, vbi  
a Lib. 3 vite D. Bernardi, cap. 1. in fin.  
 ita ait: *a Cūm iam Dei famulus annos aliquot in Claraualle peregiſſet, ſubijt animum eius, vt S. HVGONEM Gratianopolitanum Epifcopum, & CARTVSIENSES frātres deuotionis gratia inuiferet: &c. quæ ſequuntur, non minus lectu iucunda, quām adificationis plena.* Porrò ad longum hīc enumerare, quæ nam D. BERNARDVS li- terarum monumenta polteris reliquerit, haud quaquam arbitramur neceſſarium; niſi forte compendiosè quis ſcire deſideret, quæ nam poſſent ex ipſius Operibus aduersus hæreticorum verſutias Orthodoxæ fidei testimonia depromi; is enim  
 recur-

ſecurſum habere valebit ad BERNARDI- NAM noſtram CONFESSIONEM, ante triennium apud Antonium Hierathium editam.

BERNARDVS Prior Cartuſiæ Porta- obi: circa rum, conuenientiſſimè ad modū D. BER- annum Dom. NARDO Clarauallenſi ſubiugitur; quip- 1140. die 16. pe cūm & tempore fuerint coœui, & mu- Kal. Ianuar. tua charitate plus quam germani. De cuius admirandis virtutibus, atque epiſtolis ſingulari deuotione plenis ita in hunc modum ſcribit Sutorius: a Floruit a Lib. 2. vii. in domo Portarū prouincia Burgundice B. Pa- te Cartuſ. ter BERNARDVS, eiusdem domus PRIOR, Traſt. 3. c. 5. vir miraſanctitatis, ac (Diuo teſtante b Ber- pag. 509. nardo Clarauallenſi) verus homo Dei, à cuius b Epift. 155. ad Innocent. ore ē calamo ſalutarium exhortationū can- ad Papam I K dor prodiit inenarrabilis. Hic aſiduus orationi- bus deditus erat, ita vt diuinis laudibus plena in eo eſſent omnia. Hic quoque non vtiliter ſibi, ſed alijs etiam viuendum arbitratus, partim adhortationibus, partim literis, innumeros ad vitam aeternam inflammauit. Inter quos in pri- mis numeratur C Anthelmus, Bellicenſis poſt- c Huīus pre- modum Antifes, quem ſuā exhortatione hic clarā viuam BERNARDVS mundo ſubiractum, ſacro inuenies To- Ordinis habitu donauit. Inter epiſtolas quoque, 27. Aprilis. quas non tantum magno verborum ornatu ve- Scriptis epi- niuſtas, ſententiarumq; maiestate refertas, ſed ſtolas admo- diuinis quoque fultas ornamentis conſcripsit, dū inſignes.

*d'EST epistola 155. ad Innocent. Papam.*

ille habentur præcipua, quas ad D. Clareualensem dedit; quibus ad exponenda Cantica vehementius eum stimulauit, tandemq; & impetravit, &c. Multis denique prædictus virtutibus, ac prodigiorum signis post obitum celebris, migrauit ad Dominum, circa annum virginæ partus millesimum centesimum quadragesimum, xvi. Kalend. Ianuarij; quem Sutor simul ac Canisius, in Lombardia Episcopatum alibi administrasse (quemadmodum D. Bernardus Innocentio Papæ II. suis suggesterat d litteris) non sine ratione arbitrantur. Porro cætera de hoc Sanctissimo Patre vide apud Arnoldum Bostium, capite tertio de Viris nostri Ordinis illustribus; nec non & Dorlandum libr. 4. Chronicæ, capite nono.

*Vixit in Silesia anno Domini 1493.* BERNARDVS N. professus Cartusiae Passionis IESV Christi propè Legnitz, Silesiæ urbem, natione Germanus, vir fuit (vti Eifengreinius ait) cum confessionis gloria, tum vita & conuersatione plurimum insignis, Philosophus clarus, historicus celeberrimus, multarumq; literarum & rerum peritissimus, ferturque multa cum primis præclara scripsisse volumina; verum nullum eorū se vidisse (inquit Trithemius) præter Dialogum illum pulcherrimum, quæ de laudibus ac miraculis B. MARIAE virginis.

virginis eleganter composuit. Claruit vero sub Frederico Imperat. III. an. 1480,

BONIFACIUS FERRARIUS, Valentinus, B. Vincentij famosi per Orbē Prædicatoris frater germanus, vir fuit & multi-juga rerū tam humanarū quam diuinarū cognitione, & eloquentiæ laude celeberimus;

ut potè Iuris Canonici Doctor eximius, vñusq; de 7. Regentibus amplissimi regni Valentiae. Postea verò posthabitis voluptatibus, ambitiōe deposita, reiectis alijs omnibus curis, eū Ordinem est professus, q; vt antiquitate vetustissimus, origine generosissimus est, ita & Statutis ful.

*Relicto munere, ingrediatur Cartusiam.*

propositum accommodatissimis. In quo quadriennio constitutus, ad totius Ordinis gubernacula est admotus. Nam Maiorem reges Cartusiam, tam verbo quam exemplo, multos ad idem suscipiendum institutum pertraxit. Quos enim frater sius prædicando ad penitentiam prouocabat, eos ad religionis habitū Bonifacius noster suscipiebat. Tanta deniq; prudentiæ opinione excelluit, vt Benedictus Papa, dictus XIII. vel ut alij volunt XIV. eum, quamvis renitentē, pro se Legatum ad Concilium Pisanum (ad quod 1409. citatus fuerat) mittendum curauerit. At

verò cum in accedendo moram necteret,

Gene-

*Destinatus Legatus ad Concilium Pisanum.*

Generale Concilium tantas non ferens moras, tām Benedictum ipsum, quām Gregorium XII. (hi namque de Papatu atrociter contendebant) ab officio amouit. Fuit verò hīc **BONIFACIUS** vicefimus quintus Ordinis **GENERALIS**, qui tamen ad petitionem suam, anno Domini millesimo quadringētesimo decimo, tam graui releuari sarcina meruit, sedente nimjrum Capitulo Generali, vti latius aliquando à nobis dictum.

<sup>a</sup> Lib. 7. NO-  
TARVM ad  
Chron. Dor-  
landi, pag.

104.  
*Opera qua  
edidit.*

Scripsit autem inter cætera nobilem tractatum, de Confirmatione & Approbatione ordinis Cartusiensis; item cur adeo pauci in eo reperiantur, qui in Diuorum sint album ab Ecclesia recēsiti, & quām ob rem miraculis publicè non clarescant; idq̄ ad Bonifacium, eiusdem Ordinis alumnū. Item epistolas, & alia complura, vt inquit Trithemius, nobis ignota. Præfuit Ordini annis circiter octo: de quo vide Bostium, capite quinto decimo, & Dorlandum lib. 4. cap. 25.

Objit circa  
annum Do-  
mini 1313.

a Cap. 9.

Boso fuit Maioris Cartusiæ **PRIOR**, simul actotius Ordinis **GENERALIS** sextus decimus, de quo ita Arnoldus Boſtius: *a Præter alia multa ad honorem Dei, & proximorum salutem ab eo corde, lingua, M A N V, CALAMO frequenter elaborata, hominem precibus suis meritisq̄e præpotentibus à*

mor-

morte fuscitauit. Verùm quæ nám illa fint, quæ **MANY CALAMO QVE** exarauerit, haud quaquam memorat, neque vel Trithemius, vel Possevius illorum vspiam mentionem faciunt. Interim tamen in scripto quodam, quod mihi præstantis doctrinæ, atque excellentis ingenij Vir P. Simon VVeisserus, Herbipolensis Cartusiæ professus communicauit, inuenio hunc **BOSONEM** nostrum binas ad Clementem Papam Quintum scripsisse Epistolæ: quarum priori eum rogat, ne quid exosæ nouitatis introduci sinat: altera verò se excusat, quod Concilio Viennensi interesse non valens, Procuratorem suum eo ablegauerit. Porrò virum eum eximiæ sanctitatis extitisse, tām b Dorlandus, quā c Sutorius certatim commemorant: adeo vt & precibus mortuum fuscitauerit, & super eius sepulchro herba quædam ex- creuerit, varia ægritudinum genera, maxime verò febres, propulsans. Præfuit Maiori Cartusiæ annis propemodum triginta tribus, mortuusq̄e est circa annum Domini tertiumdecimum post mille trecentos.

*B. B R V N O, sacri Cartusiensis instituti primus auctor & rector, in insigni C O L O N I A A C R I P P I N A oriundus, parentes habuit & generis nobilitate & virtutis*

<sup>b</sup> Lib. 4.  
Chron. ca. 17.  
<sup>c</sup> Lib. 2. vi-  
<sup>te</sup> Cartus.  
Tratt. 3. cap.  
5 pag. 526.

*Vita sanctissim  
est vir San-  
ctissimus,  
anno Domini  
ni 1101.*

splen-

splendore præstantes: quibus tamen ille, atque adeò toti familiæ suæ maiorem vîtæ suę sanctimonia splédorem attulit. Ab ipsis aut̄ incunabulis, puerilem ætatem morum grauitate superans, præclarum quod-dā quasi futuræ religionis de se præbebat specimē; egregia indole, illustri ingenio, memoria tenaci, voluntate deniq; tota ad optima quæq; consecranda studiosè propensus. Itaq; adolescens cunctis ferè naturæ gratiæq; dotibꝫ à Diuino numine egregiè exornatus, Lutetiam Parisiorū maximarum artium disciplinis imbuendus destinatur.

*Optima illius  
indoles, me-  
moria, inge-  
nium.*

Vbi inter præstantes eruditione Philosóphos facile primas tenens, magnâ cum laude Magisterij titulo decoratus est. Inde vero ulterius ad sacrę Theologię studia se conferens, ingenij facilitate, ardoreque proficiendi continuo, Theologorum doctissimus celeberrimusq; euafit, tandemque etiam Ecclesiastico beneficio in Rhemensi Ecclesia est cumulatus. Verum quia infelix collegæ cuiusdam sui exitus, qui se damnatū è feretro horrendo cum boatu vociferabatur, animum eius diuini timoris iaculo confixit, hinc se in abditam quandam solitudinem penitentiaz peragendaz gratiæ senis comitatus socius, contulit. Cuius equidem extimam vitæ sanctimoniam, ac res præclarè

clarè gestas, quia diuersi fide digni au-

tores in lucem protulerūt, nempè Fran-

ciscus Puteanus, Petrus Leidensis, Su-

tor, Surius, Dorlandus, &c. hinc nos

actum agere nolumus: quippè qui in

N o t i s nostris ad Dorlandum, duo

decim conscripsimus paragraphos, qui

bus quæ hanc ad rem faciunt, elucidau-

mus. Quorum *primus* de B. B R V N O

*nis* patria ac parentela agit: *secundus*, fue-

ritne Iurisperitus, an verò SS. Theologæ

Doctor: *tertius*, de altero illo Doctore

tractat, qui se damnatū clamitabat: *qua-*

*tus*, de stupendi istius miraculi veritate,

& quo tempore acciderit: *quintus*, cur

ipsius nomen literarū monumentis con-

signatum non sit: *sextus*, quæ nam fue-

rit illa Cartusiaz solitudo, in quam D.

B R V N O vna cum socijs suis se recepit:

*septimus*, sitne idem iste locus etiamnum

habitatus: *octauus*, quād diu D. B R V N O eū

incoluerit, & quo pacto Romam sit euocatus:

*nonus*, quæ nam sit illa Calabriæ so-

litudo, ad quam se receperit, dimissus à

Pontifice: *decimus*, de obitu sanctissimi

huius viri, miraculis, ac canonizatione:

*vndecimus*, quæ nam post obitū scripta ad

posteros transmiserit: *duodecimus*, de ap-

probatione ordinis Cartusiensis à S. Sede

Apostolica. Quę vti illic in gratiā lectoris

*differ-*

*Duodecim*

*paragraphi*

*de primo*

*Cartusiensis*

*Ordinis ini-*

*tiatore.*

I.

2.

3.

4.

5.

6.

7.

8.

9.

10.

11.

12.

differuimus, sic iam nunc ex ordine hic percenſebimus omnes quotquot extant D. BRVNONIS doctissimè iuxta ac pien- tillimæ lucubrationes; quarum hic esto Catalogus.

- Catalogus o-  
mnium scri-  
ptorum B.  
Brunonis.
1. Commentaria in omnes Psalmos Daui- dicos.
  2. In omnes Diui Pauli Epistolæ.
  3. Liber de laudibus Ecclesie.
  4. De Paradiſo, arca Noë, Tabernaculo fæ- deru, Templo Salomonis.
  5. De muliere per quam Ecclesia figuratur.
  6. De ciuitate Sancta Hierusalem.
  7. De Basilicis que ab Episcopis ordinantur & consecrantur.
  8. De Euangelicis lectionibus.
  9. De bonis & malis Arboribus.
  10. Liber de Ornamentis Ecclesie.
  11. De fide, spe, & charitate.
  12. De quatuor virtutibus Cardinalibus.
  13. De humilitate.
  14. De misericordia.
  15. De pace.
  16. De patientia.
  17. De castitate.
  18. De obedientia.
  19. De abstinentia.
  20. Quibus virtutibus Ecclesia ornetur.
  21. Liber de nouis, nempè de nouo mundo, cœ- lo, nubibus, montibus, arboribus, anima- libus

libus, potestatibus; necnon & de nous mari ac pifatoribus, item de aubus ac fluminib- bus nouis.

22. De præcipuis Christi I E S V Saluatoris no- stri festiuitatibus, sermones varij.
23. Liber de laudibus & solemnitatibus Bea- tissima Virginis Mariae, sermones quatuor continens.
24. Liber Sermonum quinq, de Martyribus.
25. Liber sermonum vndecim de Confessori- bus.
26. De Sancto Michaële Archangelo sermo.
27. De contemptu diuitiarum.
28. Reperiuntur quoque binæ eiusdem D. Brunonis epistolæ; quarum prima est ad Radulphum Viridem, Ecclesiæ Rhe- mentis Præpositum; altera ex Calabriæ heremo scripta est ad filios suos, in Maiori Cartusia degentes.
29. Quibus Posseuinus addit librum de laudibus vita solitaria, quem dicit Veneta in Cartusia apud Paulum Rogerium, no- stræ familiæ religiosum, manuscriptum adseruari: quo vtinam potiri liceret, vt nimirum simul cum cæteris Diui BRVN- NIS operibus, iam iam per nos de su- periorum voluntate reuidédis recuden- dique, prælo committatur. Porrò B. BRVNNE non profa dunraxat, verum & carmine plurimum voluisse, testis est

30. ELEGIA quam de mundi contemptu in  
hunc modum scripsit.
- Mortales Dominus cunctos in luce creauit,  
Ut capiant meritus gaudia summa poli.  
Felix ille quidem, qui mentem iugiter illuc  
Dirigit, atq; vigil noxia quaq; cauet.  
Nec tamen infra' ix, sceleris quemps; itet alii,  
Quis, suum facinu plangere se p; solet.  
Sed viuunt homines tanq; mors nulla sequatur.  
Et velut in fernu fabula vana foret.  
Cum doceat sensus, viuentes morte resoluti,  
A' q; erebi p; r;as p;gina sacra prober.  
Quas qui non metuit, infelix prorsus & amens  
Vivit & exiit & sentiet ille rogum.  
Sic igitur cuncti mortales viuere curent,  
Ut nihil inferni sit metuenda palus.  
Ceterum obijt hic tam eximius sanctissimi Ordinis initiator pridie Nonarum Octob. anno post Christum natu millesimo centesimo primo. Relatus in numeru Sanctorum à LEONE X. anno 1514. vel sequenti. Quem ut huius familiae alumni p;à quotidie precatione interpellent, ecum hsc paucos , nescio à quo olim conscriptos, versiculos.*
- HVMILIS CARTVSIANORVM  
AD S. BRVNONEM  
Precatio.
- Aspice nos oculis BRVNO Patriarcha benigno  
Nocte dieá tibi feruentia votaferentes. (nu,  
In p;*

*In paradisiacas tua per vestigia sedes  
Tendimus, in virtutis iter nos dirige, seclu  
Quos ex innumeris renocasti BRVNO periclu.  
Propositi ardorem fac nos seruare prioris,  
Donec ad ethereas liceat condere sedes.*

BRVNO DAFRINGVES, patria Au-  
domaropolitanus, ex Priore domus Aui-  
nionensis, totius Ordinis GENERALIS  
effectus, cum sit summi ingenij, ac præ-  
statis doctrinæ Vir, plurima posset elabo-  
rare, si quid in tanta reru occupatione da-  
retur otij. Qui tamè vt Ordini prodesset  
vniuerso, insigni certè cum charactere, ac  
charta nitidissima Parisijs anno Dñi 1603.  
apud Lametiu Mettayer imprimi curauit  
MISSALIA, quibus Ordo Cartusiensis in  
diuino officio vtitur: de quo etiamnum  
benè mereri pergit.

BRVNO LOERIVS, patria Brabantu, ac Vixit in Car-  
professio e Cartusianu, frater fuit & sanguine & religione magni istius THEODORI-  
CTI LOERII, qui in eruendis DIONYSI  
RICKELII scriptis tā strenue desudauit;  
vñus nimirū operā huius plentissimi iuxta  
ac doctissimi germani sui: q; & ipse varijs  
liminaribus epistolis DIONYSII scripta,  
necno & Lanspergijs, vtpotè olim in reli-  
gione Preceptoris sui, opera oia Christia-  
no Oribi commédauit. Neq; his cōtentus,  
etiā opera HENRICI HARPHII, viri in  
C 2 Theos

*Vixit etiam-  
num in Ma-  
iori Cartujia,  
estque ratione  
Ordinis Ge-  
neralis.*

*Vixit in Car-  
tuſia Coloni-  
ensi anno  
M.D.LV.*

*Pred erant Theologia mysticæ studio exercitatiſſi-  
cum nai præ- m), Reuerendo eidemque celeberrimo  
fatione Co' o Patri Ignatio Loiolæ, cæterisque huius  
mæ apud he- Sanctissimæ Societatis I e s v Patribus,  
redes Arn. vt eos hac ratione arctiori fraternæ chari-  
Birckmanni, tatis vinculo nobis deuinciret, dedica-  
anno 1556.  
  
Fraternitas  
Cartusiano-  
rum cum So-  
cietate I e s u.*

Theologia mysticæ studio exercitatiſſi-  
cum nai præ- m), Reuerendo eidemque celeberrimo  
fatione Co' o Patri Ignatio Loiolæ, cæterisque huius  
mæ apud he- Sanctissimæ Societatis I e s v Patribus,  
redes Arn. vt eos hac ratione arctiori fraternæ chari-  
Birckmanni, tatis vinculo nobis deuinciret, dedica-  
anno 1556.  
  
Quippe qui tunc ante annos circiter  
decem vniuerso Cartulianorum Ordini,  
sanctissimo quodam amicitie n xu  
sociati crant. Tanta siquidem erat B. P E-  
TRI FABRI ( quem Cartusia Colonien-  
sis priuatim aliquandiu suo in tunu beni-  
gnè fouens, aluit, atque apud se detinuit,  
priusquam Societatis nomen ac virtus  
apud alios patim increbuisset ) morum  
grauitas, vitæque integritas, vt omnes in  
fui admirationem alliceret: vnde & Pa-  
trum nostrorum animos ita sibi deuin-  
ciuit, vt sponte sua cum totius Ordinis  
GENERALI agerent, quo possent omnium  
bonorum operum, ac spiritualium  
exercitationum quæ per Ordinem uni-  
uersum fiunt, effici particeps; dato ad  
hoc speciali diplomate, quod de verbo ad  
verbum ita sonat.

DIPLOMA R. di PATRIS  
PETRI DE SARDA, GENERALIS.  
Ordinis Cartusiensis, indultum  
PP. Societatis I e s v.

Fræ

**F**rater Petrus humilis Prior Ma-  
joris Cartusie, cæteriq; definitores  
Capituli generalis Ordinis Cartusiensi-  
sis, Reuerendo in Christo Patri ac deuo-  
tis viris Dominis Ignatio Preposito,  
suisq; fratribus noue Societatis nomi-  
nis I e s v, vibilitet locorum constitutis  
salutem, quem preparauit Deus dili-  
gentibus se. Audit a fama odorifera, fra-  
tres in Domino dilectissimi, de restra  
exemplari conuersatione, salutari do-  
ctrina, & voluntaria paupertate, cæte-  
risque virtutibus, quibus in tenebris  
noſtri deplorandi seculi refulgentes,  
perhibemini homines in via perditio-  
nis errantes ad arctam viam salutis re-  
uocare, vacillantes stabilire, stantesque  
ad proficiendum in virtutibus stimu-  
lare, & magnum in Domino Ecclesiæ  
Catholice fructum afferre, gauisi fu-  
mus in domino, gratias illi agētes quod  
in tanta desolatæ Ecclesia calamitate,  
qua prænimur, excitare dignatus es,   
& mittere nouos operarios in vincam  
suam, recordatus misericordie sue. In  
quo quidem sancto opere cupientes vo-  
bis pro nostro modulo cooperari, frater-

nitatem vestram obsecramus per charitatem eius, qui pro vobis non dubitauit animam suam ponere, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis, sed in sancto proposito perseverantes, in omnibus exhibeatis vos sicut Dei ministros in multa patientia, non deficientes inter labores, pericula, & persecutiones, qua omnibus pie vivere volentibus occurrere solent, tempore enim sua metetis non deficitates. Et nos fratres si quid possumus apud Dominum diuinis sacrificijs, orationibus, abstinentijs, ceterisque exercitijs, QVORVM OMNIVM VOBIS ET SUCCESSORIBVS VESTRIS, IN VITA PARITER ET POST MORTEM SINGVLAREM CONCEDIMVS PARTICIPATIONEM, vestris p̄ij orationibus libenter cooperabimur in Domino, postulantes ut nos vicissim in orationum & bonorum participacione commendatos, suscipere dignemini. Datus Cartusia sub sigillo nostro: Anno Dom. 1544. feria 5. post Dominic. Cantate: Sedente nostro capitulo generali.

Quia in re tam hic præfatus pater BRUNO, quam GERARDVS HAMONT ANVS, laci huius olim humanissimus integerius musqué

musqué Prior, plurimum SOCIETATI adiumento fuerunt. Quippe cum hic præfatus Societate omni qua potuit efficacia etiā R. mo Colonienſu Antistiti aliquāto post cōmendauerit, in insigni illa liminari epistola, q̄ minoribus DIONYSII RICHELII operibus an. 1559. præfixit. Vbi inter ceteras Patrum laudes, ita ait: ipse Imperator noster Clementissimus (Ferdinandum intelligit) in suis ditionibus multos tales alit, & sua maiestate dignū fouet beneficijs. Non defunt quidem qui eis detrahant, sed eo nomine Christianis omnibus debent esse gratiores. Non Discrimine docent, vt nostri Euangelici, ventrem pro Deo inter PP. Sacolere, otium sectari, voluptati ac vanitati huius miserae vita esse deditos, sed carnē cum vitijs & concupiscentijs crucifigere; quoram idcirco p̄ij honestiūq; studijs vñquā dubitanus Celsitudinem Tuam defuturam. Hac vt ille, sic nō aliter hic BRUNO Loerius; vt potè ambo eodem fraternæ charitatis studio, ac sinceræ proximorum charitatis zelo inflammati. Ceterū scripsit quoq; idem LORIUS binas dedicatoria epistolæ, quas Concionibus Lanspergij de Tempore & Festis præfixir, aliaque nonnulla, è quibus liquidò cōstat, virum eum fuisse præstanti doctrina ac pietate: quippe qui hīc in Cartusia noltra quam placidissimè in Domino obdormiuit.

## C.

*Floret etiā-  
num pietatis  
studio, iuxta  
ac literarum  
cultu.*

**C**ARTVSIA COLONIENSIS. Non est quod miretur quispiam, me etiam Cartusiae huic peculiarem adsignare titulum. Facit namque hoc & loci celebritas, & vberes qui inde promanarunt literarum fructus, ac librorum foetus. Quorum plurimi tamen sèpè sine vlo auctoris nomine in lucem (vti erant impensè humiles, nolentes magnificare nibi nomen super terram, sed potius tacitè sperantes, quod eorum nomina scripta forèt in libro vitæ) prodierunt. Adeo ut etiamnum multis in libris eximiè pijs ad calcē conspicere hæc verba liceat: ORA PRO CARTV SIA COLONIENSI, Vnde HIC LIBER PRODIIT. Quippè cùm Patres nostri ante annos non vique adeò multos, proprium intra domesticos parietes prælum, cum reliqua omni rei typographicæ suppellectile habentes, ipsi met huic tam vtili præfuerint negotio, quò possent quām optimè de Christiana republica mereri, pientissimasque suas rerum diuinarum commentationes omnibus communes facere: scientes ex thesauro inuiso & scientia abscondita nihil vtilitatis publico accedere bono. Itaque varia hīc olim impresēre deuotionis opuscula, quibus pietatis cultum impensè promouē-

Ecc. 20.32.

mouerunt. Quin & nonnulla haud contemnendæ eruditioñis opera suapte marте composuerunt; quorum pleraque necdum impressa sunt, quemadmodum constat de commentarijs VVERNERI Roeleuinckij in Acta Apostolorum, atque in omnes Diui Pauli Epistolas. Similiter & HENRICVS DISSENIUS, vt alibi à nobis commemoratum, varia conscripsit volumina, quorū nihil vñquam in lucem prodijt.

CATERVM, cùm longè lateq; odoris sui fragrantiam hæc eadem Vbiorum Cartusia dispergeret, tandem factum est, vt etiam exteri literarum suarum monumenta, amoris gratitudinisq; ergo eidem offerrent, dedicarentque. Quemadmodum fecisse constat D. NICOLAV M E SCHIVM, amplissimi istius Beginagij Diestensis Cœnobiaracham, virum nimis & eruditione, & sincera in Deū pietate ornatissimum. Qui cùm sèpè numero ad Cartusiam hanc nostram respirandi caussa diuerteret, quatenus fese orando ac meditando subinde recolligeret, opusculum illud PIORVM EXERCITO RVM planè aureum, ac verè pium, nostris Prodiit apud inscribens Patribus, ad calcem dedicatoriæ suæ ita eosdem alloquitur. Quandoquidem ita iam in confuetudinem renisse consipi-

Plantinum.  
anno 1569.  
in 12.

mus, ut nihil fermè librorum in lucem emittatur, quod non certo alicui Patrono dedicetur: volui ēc ego vobis, Reuerendi ac religiosi P A T R E S & F R A T R E S, quibus maximè hac cōscripti, hūc meum qualemcumq; laborem dedicatum, & consecratū esse. Tum quod vos sciam būiusmudi pietatis exercitūs delectari, tum ve-  
fit me erga vos obseruantia, ET PRO M A X I M I S I N M E C O L L A T I S B E N E-  
F I C I I S, grati animi perpetuū testimonium.  
Noui C A N D O R E M vestrū, quod etiam exiguum non contemnatus. Debebam quidem pro vestris in me meritis offerre maiora: sed vos non tam manus oblatum, quam animi ingentem voluntatem, sat scio, considerabitis. Hæc quidem vti Elchius, bc haud longè ante illum etiam H E N R I C V S  
H E L M E S I V S, Germopolitanus, Franciscanæ familiae Professor simul ac Concionator celeberrimus, quintum Concionum suarū Tomum Venerabili, multaque tum pietate tum eruditione præstanti Viro, P. G E R A R D O H A M O N-  
T A N O, Cartulæ huiuscæ nostræ P R I O-  
R I olim meritissimo dedicans, hisce mox eum compellat verbis: Cūm ego lucubratio-

\* Prodiereunt nes\* quas dā meas, Reuerende Pater, in lucem Colonia apud emittere decreuissim, eoq; nomine Coloniam Casparum adiisse, vbi scirem typographos esse multos, ad Gennepam, an. 1556. in i. vestrū me Cœnobium potissimum contul; illuc hospitio

hosptio vñsurus, donec scriptis meis extremam imponerem manum. Euenit id certè aliquoties, Hospitalitas multiq; mensibus apud vos demoratus sum. Vbi Cartujie con-  
quid humanitat, quid benevolentia expertus terius fami-  
sim, tum in Paternitate Tua, tum alijs fratribus liæ religio-  
ilic Chriſto militantibus, illus præcipue, quos jor.  
Officiales appellare consueuitis, si scriptis complecti velim, tempus mihi omne deficiet, prius quam pro merito quidquam explicare queam.  
Fateor enim haud secus atq; Angelum Domini, in qd atq; Chriſtum I E S V M me & suscepit &  
tractatū à vobis esse: ita vt haud immerit qd-  
quid à me Colonia editum est, non minus vobis,  
quā mibi ipſi adscribi & posſit, & debeat. Quan-  
doquidem vestrā liberalitate factū est, vt absolu-  
tū illus que animo institueram, satis esse po-  
querim. Qui deinde humilitatis ergo de-  
missè de suis istis lucubrationibus fenties,  
noſtrorum Patrum piè elaborata monu-  
menta, tali dignatur præconio. Equidem  
Reuerende Pater, in vestri Cœnobij Patribus id  
summopere predico, quod non ſolum meis qua-  
libuscumq; opusculis, que ego ſanè minimi fa-  
cio, ſed etiam multorū alterum præclaris certè  
egregijsq; euulgandis monumentis P L V R I-  
M A M A D H I B V I S T I S, AT Q V E  
E T I A M N V M A D H I B E T I S O P E-  
R A M . Eſt enim id magna eximiaeque pie-  
tatis argumentum, quo Chriſtiana Reipubl.  
plurimum commendare velis. Et pōſt  
pauca,

*In illos qui Cartusianos pietatis amantes. Non es tu vnguam otiosi, adeo otio vacare ut nec tunc quidem otio vacetis, cum seculi huius amatores vos maximè otiosos arbitrantur.*

*Mibi sanè multum profuit inter vos habitasse, & vestra vsum esse familiari consuetudine. Recreasti enim spiritum meum, & repletus sum consolatione, videns nimirum S A N C T A M CONVERSATIONEM VESTRAM. Haec tenus verba Helmesij; quæ ideo hic aliquād prolixius percensere volui, quatenus videam⁹, ne vt Patribus istis prædecessoribus nostris iucundissimū fuit, tantam nobis pietatis virtutisque memoriam literarum suarum monumentis, atque insig-  
nī hospitalitatis laude, reliquisse, sic nobis turpissimum sit ( absit omen ) illud quod ab ijsdem accepimus, tueri ac conservare imitando nō posse: maximè cùn- & bonorum operum glorioſus fit fructus, & qui ad iustitiam erudiunt multos, tanquam stellæ in perpetuas aternitates, effusuri sint.*

Sap 3 15.  
Dan. 12. 3.

Vixit anno  
M. D. L. V.

**C L A V D I U S M O R E L L I U S**, Cathalaunias, Lutetię Parisiorum prōfessus, scripsit anno Domini 1551. cùm isti sub Sole aureo, apud Carolā Guilliard prodijissent **A L L E G O R I A E** simul ac **T R O P O L O G I A E** in selectiores vtriusq; Testamenti locos, ē monumentis viiius & triginta Auctorum, à **C o d e f r i d o T i l m a n n o**, eiusdem

dem quoque Cartusiæ ex professo Monachi, collectæ, ac pulchro ordine dispositæ, Carmén aliquod: quo & Mœcenatem operis, atq; opus ipsum verbis hinc commendat.

*O quem te memorem vir præstansissime, regni Florentis semper gloria diligeri?*

*Immortale dec⁹ patria, velut anchora sacra es*

*Fuit hic Am-*

*thosius de*

*Effars, Li-*

*riaci Domi-*

*nus, & in*

*Pretorio cl-*

*uili appre-*

*fectus Re-*

*gius.*

*Vindice te nullifas glomerasse dolos.*

*Tu mira caussas dirimu grauitate forenses,*

*Nestoreusq; tuo manat ab ore lepos.*

*Stemmatasi coner gracilis celebrare camena,*

*Pondere subtanto cymbula nostragemet,*

*Iure, tuis igitur tenues volitare per auras*

*Auspicijs, gestis floridus iste liber.*

*Abdita qui retegens oracula sacra Tonantis,*

*Nectareos latices spirat, & ambrosiam.*

*Sumpibus ista suis Veterū monumēta Niuellus,*

*Vulgavit summā dexteritate Patrum.*

**C O N R A D V S M E R H E T** de VVida, Herbipolensis Cartusiæ ex professo Monachus, tanta tan. que grandia per pulchro charactere diuerhis in Domibus scripsit volumina, vt fidei propemodū supereret. In vna ( sive verò in pluribus ) triginta & amplius in vsum chori ac bibliothecæ, propriā manu solus exarauit, minoribas exceptis: adeo vt hoc nostro æuo vix Monachos decem tale quid in te suscep- tueros dixerim. De hoc Chronicon quod- dam

dam Cartusiæ Ephordiensis M. S. com-memorat, quod fuerit Scriptor celebris, Cantorque doctissimus; & quod tandem, dum quinquaginta & amplius annos laudabiliter admodum in Ordine exegisset, oculorum lumine (haud dubio ex continua illa scriptione) destitutus, obierit in horto Christi propè Noertlingam, anno nimirum redempti Orbis septuagesimo nono, post mille quadringentos. Vtrum verò suapte Marte libroru[m] aliquid (quod tamen verisimile arbitror) elaborauerit, me latet. Quanquam quæ dicta sunt, meritò dig[er]unt eum faciant, qui inter Car-tusiæ huius Bibliothecæ Scriptores, locum sortiatur suum.

*Supereft eti-  
amnum hu-  
mum culi an-  
no octauo.*

CORNELIUS GRASIVS, in vrbe Ant-verpia, Europæ emporio longè celeberrimo, parentibus tam vitâ probitate, quam opum magnitudine famosis, pro-gnatus, cùm ob fidei immutatæ rationem (desciuerant enim tunc ab auitæ religio-nis constantia nobiles aliquot Belgicæ vrbes) paternis relictis laribus, Coloniam sese contulisset, ibique ad prosequendam mercaturam animum applicaslet, tandem diuini numinis adflante spiritu, postribus tam splendidæ fortunæ pos-sessionibus, ad longè præstantiorem mer-catum mentem cœpit transferre. Similis

nimi-

nimirum isti Euangelico negotiatori, cul *Matth. 13.*  
bonas quærenti margaritas, vna pretiosis-*v. 4,*  
sima sese obtulit, quam venditis omni-  
bus sibi compararet. Quæ quidem ver-  
ba Diuus explicans Bernardus, vel quis-  
quis est auctor a homiliæ istius, in qua a Reperiunt  
expresso Euangelicus hic explicatur te *ad calcem*  
*xtus; quannamest,* inquit, *tampreciosam ar-*  
*garita, pro qua vniuersa dare debemus, id est*  
*nosmetipso[s]. quia totum dedit, qui se ipsum recētioribus*  
*obtulit, vt possimus eam habere?* Nonne re-exempli  
ligio sancta, pura & immaculata, in qua ho-  
mo viuit purius, cadit rarius, surgit velocius,  
incedit cautius, irroratur frequentius, quies-  
cit securius, moritur confidentius, purgatur  
citiu[s], pramiatur copiosiu[s]? Atque hæc alia-  
que secum agitante animo, Coloniensi  
Cartusiæ, anno superioris seculi no-  
nagesimo secundo, solemni sese profes-  
sione deuouit. Vbi & post obitum sym-  
patriotæ sui, P. Zachariae Lippeloi, cœpit  
in exornandis rebus g[ra]tis Sanctorum,  
& præfato Lippeloo ex senis P. S V R I I  
Tomis in compendium contractis, per-  
uigilem sanè nauare operam: adeò vt quas  
ille Diuorum vitas, immatura potius  
quam inopinata morte præuentus, ad  
correctionis limam reuocare non po-  
tuit, hic recensuerit, emendauerit, lo-  
cupletauerit. Quarum quidem iustæ  
magni-

magnitudinis tomis quatuor proposita apud Bernardum Gualtheri, Agrippinensem bibliopolam haud incelebrem, ut bona fide, sic & eleganti stilo conscripti. Edidit etiam belgicum quendam Tractatulum de sacrificio Missæ, impressum Coloniæ, apud Bernardum Gualtheri in 12. Porro idem GRASIVS insigni quoque nouorum librorum suppellectili nostram adauxit bibliothecam; aliorum conatus prouocare æmulationem, quo & ipsi suam, in hanc rem tamè piam, ac communitorius Conuentus emolumento fructuosam, liberalitatem exerceant.

*Incertum  
babeo quan-  
do vixerit.*

\* Reperitur  
in Bibliotheca  
Cartusie  
Buxiane.

*Vivebat sub  
Maximilia-  
no 2.  
In appara-  
tu suo facio.*

COSMAS ABECEDARIUS, quem mihi Patres nostri Herbipolenses sugges- sere, licet haec tenus ne de nomine quidem eum nouerim. Quem tamen referunt carmine edidisse librum, cui titulus, \*plan- dus triumphi septem continens coronas: prodidisse verò Mantuę in Cisalpina Gallia, in forma octaua. Vtrum verò loci istius (est namque Mantua Cartusia non incelebris) profesus fuerit, & qua ètate vixerit, haud commemorant.

COSMAS FESTINVS, Laudensis, quæ ciuitas non longè Mediolano distat, pia quædam (ut a Possevinus ait) edidit Poëmata, vixitque Maximiliano II. Imperante. Et fortè hic idem est cum superiore

tiore illo COSMA ABECEDARIO; de quo tamen nihil certi queo statuere; quod nec huius, nec illius vspiam mentionem inuenerim, vnde hoc pro comperto affirmare liceat.

CRVSIANVS natione Florentinus, ex *Claruit circa ann. Domini millesimum trecentum.* Medico factus est Cartusianus. Quem tandem Scriptores alij, TRVSIANVM nominant, idcirco illius mentionem ad literam T. ubi ex professo de illo agendum, differemus.

D.

DIONYSIUS RICKELIVS, quo- Migravit ad  
dam Hasbaniæ vico natus, parentes Dominum,  
habuit admodum honestos, secundum anno 1471. ih  
seculi fortunam haud infimam conditio- festo D. Gre-  
nis, quibus autum genus de *Lewis* indi- gorij Pape.  
dit cognomen. De cuius doctissimis lu-  
cubrationibus rebusq; sanctissimè gestis,  
consule Vitam illius, quam P. Theodo-  
ricus Loherius accuratè cōscripsit. Quin  
& Dorlandus libro septimo plurima ad-  
miratione digna de hoc Beatissimo Patre  
commemorat: quem & nos ibidem NO-  
TIS nostris ab aliorum defendimus ca-  
lumnijs. Phrasis quidem illius pro nasu-  
tissimi doctissimique huius seculi ratio-  
ne simplicior humiliorque est, verum ni-  
hilominus habet eruditonis plurimum;  
Quis autem sit tam insipiens, vt contem-  
nit-

D

hen-

nendum putet arculam ligneam pretiosissimas gemmas continentem? Obscurus est DIONYSIUS suo aëno: qui si in hęc tempora incidisset, Patrumq; monumentis tanto vti numero licuisset, alijisque politioribus literis, fortassis nemini ille secundum se in omni disciplinarum genere præbuisset. Aderat namque ei ingenium perspicax, aderat memoria ad stuporem vsq; tenacissima, aderat voluntas proximorum saluti totam se impendere gestiens; atque hisce impellentibus, nes atque dies dulce habuit transfigere studio legendi, scribendi, orandi, meditandi, contemplandi; & ad id vsq; sanctitas excruevit, vt quæ de ipso verisimè à fide dignis referuntur, penè fidem excedere videantur. Verum enim uero apud rerum spiritualium peritos videntur ista admiranda quidem, sed tamen possibilia, quia omnia possumus in eo qui nos confortat: imò & ipse Spiritus adiuuat infirmitatem nostram. Porro tanta est operum DIONYSII moles, vt librorum multitudine longè superauerit Diuum Aurelium AVGVSTINVM, nullo penitus usus amanuensi. Quippe cùm omnia propria conscriperit manu, sicuti eandem etiamnum videre licet ex ingentibus aliquot voluminibus, Kuræmundam hinc

(cùm

(cùm alioquin nobis iure typographicō debebantur) paucis ante annis asportatis. Quorum quidem euulgandorum insignem reuera nauauit operam nostrę huius Cartusiæ alumnus P. THEODORICVS Loherius, vir æterna memoria dignus. Qui hocce negotium satis fœliciter auspiciatus, fœlicius consummavit, quantumuis frustra alij huic negotio animun calatumque applicassent. Nam Pate GREGORIVS REISCHIVS, Friburgensis Prior, ac primarius Rhenanae Provincie Visitator, et si præsens in Capitulis aliquot Generalibus, necnon apud industrios quosdam, ac per celebres re typographicæ Antistites, (Frobennium dico ac Amorbachium) plurimum i. hanc rem laboris impendisset, non qui uit tamen voto potiri suo, atq; hunc tan præclarum animi conceptum (tametsi ac hoc perurgendum ducatorum centen aliquot coaceruata fuissent) ad optatum perducere finem. Cùm interim illo con quiescente, ac de rei conficiendæ diffi cultate animum abijciente, noster hi THEODORICVS (magnarum hic vigore est mentium, ac generosa fortissimi pectoris indoles, sub tanto nimirum gra uaminis onere non fatiscere) paucorū decursu annorum rem omnem fœlicissi

D 2

m

mē transfigit, adeo ut plurimum debeat DIONYSIUS Loherio; quippè ab illo renatus, atque è tenebris in lucem prolatus. Et quid quæsio suauius, quam possidere atrium, quod ipse ornaueris? gestare arma quæ ipse confeceris? frui aruo quod ipse colueris? Quæ quidem felicitas tibi, mi THEODORICE, pro voto contigit, ut neminem hunc EXSTATICVM DOCTOREM in solidum tibi iure meritissimo vendicare queas.

PORRÒ scripsit DIONYSIUS noster, vir extra omnem controvèrsiam, scientia & pietate admirabilis, de omnium castigatione ordinum: ut quod concionando non poterat, calamo suppleret. Et ne desidia & inertiaque argueretur (huius namque solent plerumq; Cartusianos arguere illi, qui vitæ nostræ penitus ignari sunt) innumeras edidit summo labore lucubrationes, quas hīc in gratiam Lectoris libenter recensebimus.

ELENCHVS OMNIVM LIBRORVM B. PATRIS DIONYSII RICKELII, quem ipsem̄ audior  
aliorum rogatu suâ conscripsit  
manu.

**A** Religiosis alijsque venerandis amicis frequenter, atque per plures annos,

nos, ego frater DIONYSIUS Cartusiensis regatus sum scribere nomina seu titulos opusculorum meorum. Distuli autē huc unque, reputans apud me ne forte hoc ipsum vanitati, non virtuti ascribatur, præsertim quum quidam magnorum sua legātur occultasse opuscula pro posse, quo ad usque vixerunt in carne. Sed reclamauit synteresis virtus, submurmurans & affirmans: & si bonum est talia ex humilitate celare, melius tamen & fructuosius est, ex charitate huiusmodi propalare & cōmunicare. Cūm & sacratissimus dicat princeps Apostolorum: *Vnusquisq; sicut accepit gratiam in alterutrum illam administrantes.* In Ecclesiastico quoque legitur: *Thesaurus inuisus & sapientia abscondita, qua vilitas in utrisque?* Ad hoc accedit & confert, quod Michael dixit Archangelus: *Qui multos erudiunt ad iustitiam, fulgebunt ut stella in perpetuas aternitates.* Interca fons quis dicet: iam tot & tanta à sanctis Catholicis viris, illuminatis doctoribus conscripta sunt, ut opus non sit plura conscribere. Verum ad hoc Ioannes Cancellarius Parisiensis respondet: *In mensa sapientie, in refectorio militantis Ecclesia, in conuiuio Christi, condecet astudiu noua fercula exhiberi, diversaq; alimq; & proponi; ut cuius internum patatum unum pabulum, aut non, aut minus delectat,*

lectat, aliud prouocet. Nam iuxta varietatem gustus corporei, inuenitur differentia gustus inter nos: & quosdā vetera, quosdā noua magis oblectant. Hinc inductus, statui prætactæ obtéperare petitioni, potissimē tamen adhoc, quoniam scio quod multa mihi ascribuntur opuscula, quæ non feci, quæ vtiq; tantæ eminentiæ esse queunt, vt tantæ imperitiæ defectuositatisq; homini ipsa indecés sit ascribi. Nihilominus quedam illorum talia fortè sunt, vt non mihi duntaxat, sed & ordini sancto scandalum cōfisteret, talia ædita esse à fratre religiosis tam sanctæ. Verum quādo ista scribo, ad discernendum opuscula mea ab alijs, nō reor sufficere titulos seu nomina opusculorum exprimere, nisi & eorundem exordia finesq; tangantur. Siquidem & à diversis frequenter conscripti sunt libri non minus eorundem, & de eisdem materijs. Istud tamen pro nunc nequeo adimplere, quoniam opuscula ipsa mea pro maxima parte iam alijs sunt concessa, nec exordiorum ac terminorum ipsorum recordor, nisi quod omnia vel penè omnia finiūtur his verbis: *Qui est sup omnia Deus sublimis & benedictus, Amen.* Per articulos quoq; procedo. Ex stilo, item tenore & forma posterunt probabiliter saltem decerni. Insuper ad vitandam prolixitatem ac iactan-

tiæ speciæ, possem multa summatim perstringere, ita scribendo. *Super totā Bibliam scripsi*, sed quoniam multi hoc ipsum egerunt, & plures super quosdam Bibliæ libros scripserunt, ex illa breui summaria perstrinctione, exposiuncula meæ seu commentariola ab aliorum expolitionibus & commentarijs discerni nō possent, cogor sigillatim exprimere. Quantum itaque occurrit memoriæ. Primo scripsi super librum Psalmorum.

*Quinquagena prima.* Proœmium: *Dixit 2. Reg. 23.* Dauid filius Isai, dixit vir cui cōstitutum est de Christo Dei Iacob egregius psaltes Israel Spiritus domini locutus est per me, & sermo eius per linguam meam.

*Quinquagena secunda.* Proœ. Testimonium perhibens Deus Dauid, dixit: Inueni Dauid virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.

*Quinquagena tertia.* Proœ. Dedit David confessionem sancto & excelsō, & de omni corde suo laudavit Deum, qui fecit illum.

¶ Et librum illum psalmorum, quantum desuper datum est, literaliter, allegoricè, tropologicè, & anagogicè exposui, quantum textus ipse permisit.

*Super septē Psalmos Pœnitentiales.* Proœ. Tren. 3. Scrutemur vias nostras, & queramus,

& reuertamur ad Dominum. Leuemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cœlos. Nos iniquè egimus & ad iram prouocauimus Deum.

Eccles. 49.

*Super Iſaiam.* Proœ. Iſaias Prophetæ magnus & fidelis in conspectu Dei, spiritu magno vidit ultima, & consolatus est lugentes usque in sempiternum.

¶ Hunc librum sicut & cæteras veteris Testam. scripturas, literaliter spiritualiterque exposui.

Eccles. 45.

*Super Genesim.* Proœ. Dilectus Deo & hominibus Moyses, dedit illi dominus legem vitæ & disciplinæ, docere Jacob testamentum & iudicia sua Israel.

Prov. 8.

*Super Exodum.* Proœ. Iusti sunt omnes sermones mei, & non est in eis prauū quid neque peruersum.

Prover. 3.

*Super Leviticum.* Proœ. Honora Dominum de tua substantia, & de primitijs frugum tuarum, & implebuntur horrea tua saturitate, & vino torcularia tua redundabunt.

Iſai. 40.

*Super librum Numeror.* Proœ. Qui educit in numero militiam eorum, & omnes ex nomine vocat.

Prover. 7.

*Super Deuteronom.* Proœ. Serua manda- ta & legem quasi pupillam oculi tui, liga eam in digitis tuis, & in tabulis cordis tui liga eam.

Super

*Super librum Iosue.* Proœ. Fortis in bello Iesu Naue, successor Moysei in Prophetis, qui fuit magnus secundum nomen, maximus in salutem electorum Dei, expugnare insurgentes hostes, ut consequeretur hereditatem Israel.

*Super librum Iudicum.* Proœ. Iudices singuli suo nomine, quorum non est corruptum cor, qui non auersi sunt à Domino, ut sit memoria illorum in benedictione.

*Super librum Ruth.* Articulus, i. Teste S. Hieronymo, &c.

*Super quatuor libros Regum.* Proœ. Reges Gene. 17. ex te egredientur.

*Super libros Paralipom.* Proœ. Deus fecit ex uno homine.

*Super Esdram.* Proœ. Lex veritatis fuit in ore eius.

*Super Neemiam.* Proœ. Neemias in memoria multi temporis, qui erexit nobis muros euersos, & stare fecit portas & seras, & erexit domus nostras.

*Super Tobiam.* Proœ. Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur: de panibus enim suis dedit pauperi.

*Super Iudith.* Proœ. Hæc vocabitur virginis.

*Super Heſter.* Proœ. Sicut Sol oriens in mundo in altissimis Dei, sic & mulieris bona species in ornamentum domus suæ.

D 5

Super

Prou. 3.

*Super Iob.* Proce. Disciplinam Domini filii mi ne abijcas, & ne deficias cum ab eo corriperis, quem enim diligit Dominus corripit, & quasi pater in filio complacet sibi.

*Super Psalterium.* vt suprà.

3. Reg. 3.

*Super librum Proverbiorum.* Proce. Dixit Dominus Solomoni, quoniam postulasti sapientiam, ecce dedi tibi cor sapiens atque intelligens in tantum, vt nullus ante te similis tibi fuerit, nec post te surrecturus sit.

Prou. 1.

*Super Ecclesiasten.* Proce. Quemadmodum Solomon tria sortitus sit nomina, & iuxta illorum trium nominum interpretationem tria ediderit volumina, ad tres hominum status spectantia, introductum est suprà.

Esaie 6.

*Supra Cantica Canticorum.* Proce. Gaudet Sponsus super Sponsam.

Luc. 4.

*Super Ecclesiasticum.* Proce. Mirabantur omnes in verbis gratiae quæ procedebant de ore eius.

*Super Isaiam.* vt suprà.

2. Mach. 15.

*Super Hieremiam.* Proce. Hic est fratum amator & populi Israel, hic est qui multum orat pro populo & vniuersa sancta ciuitate, Hieremias Propheta Dei, vir etate & gloria mirabilis, & habitudine magni decoris.

Super

*Super Threnos.* Proce. Videns Iesu ci- *Luc. 9.* uitatem fleuit super eam.

*Super Baruch.* Proce. Dixit Baruch ad *Hiere. 36.* principes Iudeæ, Ex ore suo loquebatur Hieremias quasi legens omnes sermones istos & ego scribebam in volumine atra- mento.

*Super Ezechielem.* Proce. Sapientia per *Sapien. 6.* nationes in animas sanctas se træsfert, ami- cos Dei & prophetas constituit.

*Super Danielem.* Proce. Non faciet Do- *Amos 3.* minus verbum, nisi reuelauerit secretum suum ad seruos suos prophetas.

*Super duodecim Prophetas minores.* Proce. Sapientia omnium antiquorum exquireret *Eccles. 39.* sapiens, & in Prophetis vocabit.

*Super libros Machabaorum.* Proce. Iuda *Gene. 49.* te laudabunt fratres tui, manus tuæ in cer- uicibus inimicorum tuorū. Catulus leo- nis Iuda.

*In omnes libros Noui Testamenti.*

*Super Matthæum.* Proce. Quasi stella ma- *Eccles. 50.* tutina in medio nebulae, & quasi luna ple- na, & quasi sol refulgens, sic iste effulgit in domo Dei.

*Super Marcum.* Proce. Multitudo sapien- *Sapien. 50.* tum sanitas est orbis terrarum.

*Super Lucam.* Proce. Doctrinam qua- *Eccles. 24.* si ante lucanum illumino omnibus, & enar-

enarrabo illam vsque in longinquum, & illuminabo omnes sperantes in Domino, & relinquam illam quarentibus sapientiam.

*Ecclesiasticus 24.* Super Ioannem. Proce. Ego sicut aquæductus exiui à paradiso, & fluuius meus propinquauit ad mare, quoniam doctrina quasi antelucanum illumino omnibus.

*Proverbi 8.* Super omnes Dissi Pauli Apostoli epistolas. Proce. Audite me, quoniam de rebus magnis locuturus sum, & aperiétur labia mea ut recta prædicerent. Iusti sunt omnes sermones mei.

*Proverbi 3.* Monopanton, id est, vnum ex omnibus Epistolis B. Pauli ad materias contractum. Proce. Reuerendissimo in Christo patri.

*Canticorum 3.* Super Actus Apostolorum. Proce. Beatus homo qui inuenit sapientiam, & qui affluit prudentia.

Super septem epistolas Canonicas. Proce. Comedite amici & bibite, & inebriamini charissimi.

*Ieremia 42.* Super Apocalypsim. Proce. Ecce puer meus electus quem elegi, dilectus meus, in quo bene placuit animæ meæ, ponam spiritum meum super eum, & iudicium gentibus nunciabit.

Epitome, siue nobiliores sententiae totius Bibliæ. Proce. Tota sacræ Bibliæ scriptura distin-

distinguitur in duo Testamenta, Vetus videlicet & Nouum.

Hæc super Bibliam.

*¶ TITVLIO PERVM DOCTRINALIUM & de diuinis.*

In libros B. Dionysij Ariopagytæ.

Super Angelicam seu cœlestem hierarchiam. Proce. Accessistis ad montem Sion & ci- *Hebreos 12.* uitatem Dei viuentis Hierusalem cœlestem, & multorum militum Angelorum frequentiam.

Super Ecclesiasticam Hierarchiam. Proce. Talem habemus pontificem, qui confe- *Hebreos 8.* dit in dextera sedis magnitudinis in cœlis, sanctorum minister & tabernaculi veri, quod fixit Deus & non homo.

Super libros de Diuinis nominibus. Proce. Quis ascendit in cœlum atque descendit? *Proverbi 30.* quis colligauit aquas quasi in vestimento? quis suscitauit oës terminos terræ? quod nomen est eius? & quod nomen filij eius si nosti?

Super mysticam Theologiam. Proce. Do- *2. Paral. 1.* minus dixit vt habitaret in caligine.

Super undecim Epistolas Dionysij. Proce. Videte quoniam non solum mihi laborau- *Ecclesiasticus 2.* i, sed omnibus exquirentibus veritatem,

*In quatuor libros Sententiarum.*

*Super quatuor libros Sententiarum, scrip-*  
*ta doctorum scholasticorum famatissi-*  
*morum reduxi in vnum, videlicet Ale-*  
*xandri de Halis, Sancti Thomæ, Alberti*  
*magni, Bonaventuræ, Egidij de Roma,*  
*Petri de Tarentasia, Richardi de media*  
*villa, Guilhelmi Parisiensis, Domini Guill-*  
*helmi Antisiodorensis, Henrici de Gan-*  
*dauo, Vlrici, Scotti, & Hanibalis.*

*Eccles. 43.* *Super primum librum Sententiarum.* Proœ.  
*Sapientiam omnium antiquorum exqui-*  
*ret sapiens.*

*Iob. 12.* *Super secundum librum Sententiarum.* Proœ.  
*Quis ignorat quod manus Do-*  
*mini fecit hæc omnia? in cuius manu est*  
*anima omnis viuentis, & spiritus vniuer-*  
*fæ carnis.*

*Daniel. 9.* *Super tertium librum Sententiarum.* Proœ.  
*Dixit Gabriel ad Danielem: Septuaginta*  
*hebdomades abbreviatæ fuit super po-*  
*pulum tuum ut deleatur iniquitas, & ad-*  
*ducatur iustitia sempiterna, & impleatur*  
*visio, & prophetia, & vngatur Sanctus San-*  
*ctorum, & occidetur Christus.*

*Super quartum librum Sententiarum.* Proœ.  
*Sanabo contritiones eorum, diligam eos*  
*spontaneæ: quia auersus est furor meus*  
*ab eis.*

*Ente-*

*Enterione, id est, medulla operum*  
*S. Thome.*

*Exhelcoſis, id est, excerptum prime partis*  
*summae. Proœ. Neminem diligat Deus, nisi Sapient. 7.*  
*qui cum sapientia inhabitat.*

*Exhelcoſis prima partis secunda. Proœ. Au-*  
*ris bona audiet cum omni concupiscen-*  
*tia sapientiam.*

*Exhelcoſis secunda partis secunda. Proœ.*  
*Omnis gloria eius filiæ regis ab intus in Psalm. 44.*  
*fimbrijs aureis, circumamicta varietati-*  
*bus.*

*Exhelcoſis tertiae partis. Proœ. Beatus Prover. 3.*  
*homo qui inuenit sapientiam, & qui af-*  
*fluit prudentia.*

*Supplementum summae exscripto eiusdem S.*  
*Thome super Quartum sententiarum. Proœ.*  
*Vani sunt omnes homines, quibus non Sapien. 13.*  
*subest scientia Dei.*

*Exhelcoſis ex Summa D. Guilhelmi Anti-*  
*siodorensis. Proœ. Sicut vera dilectio diligi-*  
*tur Deus super omnia. Matth. 22.*

*Super Boëtium de consolatione Philosophie*  
*literarum & mysticæ. Proœ. Homo sanctus Eccles. 27.*  
*in sapientia manet sicut Sol, stultus muta-*  
*tur ut luna.*

*Enarratio hymnorum præsertim veterum.*  
*Proœ. Implemini Spiritu sancto, loquen-*  
*tes vobis metipsis in Psalmis & hymnis &*  
*canti-*

canticis spiritualibus, cantantes & psallen-  
tes in cordibus vestris, Domino gratias  
agentes pro omnibus.

*Gene. 28.*

*Expositio librorum Ioannis Climaobi.* Proce.  
Vidit Iacob in somnis scalam stantem su-  
per terram, & cacumen illius tangens cœ-  
lum, Angelos quoque Dei ascendentes &  
descendentes per eam, & Dominum in-  
nixum scalæ, dicentem sibi: Ego sum  
Deus.

*Psal. 118.*

*Translatio librorum Ioan. Casiani ad sy-  
lam facillum.* Proce. Declaratio sermo-  
num tuorum illuminat, & intellectū dat  
paruulis.

*Sapient. 3.*

*De exemplis & documentis authenticis.*  
Proce. Sapientiam sanctorum narrant po-  
puli, & laudem eorum nuntiat Ecclesia.

*Aristot. 1.  
periob.*

*De ente & essentia.* Proce. Quemadmo-  
dum Aristoteles profitetur, Rerum al-  
iquarum sunt vniuersales, aliquæ particu-  
lares.

*Aristot. in  
2. celi.*

*De scientia Vniuersalium.* Proce. Deside-  
rabilius est de sublimibus, imo de uno al-  
to ente pauculum scire, quam de decliviis  
bus multam habere agnitionem.

*Prov. 3.*

*Compendium Philosophicum, seu elementa-  
tio Philosophica.* Proce. Præcioſior eit sa-  
pientia cunctis opibus: & omnia quæ de-  
ſiderantur, huic non valent comparari.

*Compendium Theologicum, seu elementatio  
Theo-*

*Theologica.* Proce. Comparete vobis sapi-  
entiam sine argento, & collum vestrum  
subjicite iugo eius.

*De lumine Christiana Theoria, lib. 2.* Proce.  
Omnis processio secundorum à primo, &  
conuerſio eorundem per similitudinem  
efficitur vtlorumq;. Hos duos libros præ-  
clarissimos, nuper in exordio fecudi To-  
mi mihiorum operum Diobysij, dedimus  
in lucem: tametli Articulo 52. offendiri-  
mus mutile exemplar. Si cuiquam integrū  
occurrerit, in gratiam piorum proferat  
in lucem. *Quod & de libris de diuina es-  
tentia, perditis pétitur.*

*Dialogion de fide Catholica contra genti-  
les, cōtinens octo libros partiales.* Proce. Ma-  
gna & mirabilia sunt opera tua Domine  
Deus omnipotens, iultæ & veræ sunt om-  
nes via tuæ rex Sanctorum. *Quis non ti-  
mebit te & magnificabit nomen tuū, quo-  
niā tu solus pius es.* Tu enim Domine  
creasti omnia, & propter voluntatē tuam  
creata sunt. Tu solus omnium dominaris,  
& in ditione tua cuncta sunt posita, quo-  
niā tu solus æternus es.

*Contra perfidiam Machometi, & contra  
multa dicta Sarracenorum libri quatuor.* Re-  
gi magno ac præpotenti Imperatori Sar-  
racenorum, omnibus legis Machometi

E docto:

doctoribus atque cultoribus quidam religiosus, &c.

*Ioan. 3.* *Dialogus disputationis inter Christianum & Saracenum de lege Christi, & contra perfidiam impissimi Machameti.* Proce. Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.

*Epiſtola ad principes Catholicos parana- ca, de instituendo bello aduersus Turcā.* Proce. Vniuersis principibus Christianis, &c.

*Deut. 6. & 10.* *Contra artes Magicas & errores VV aldenſium.* Proce. Caeue ne imitari velis abominationes illarum gentium, nec inueniatur in te qui lustret filium suum aut filiam ducent per ignem, aut qui ariolos sciscitur, & obſeruet ſomnia atque auguria, ne sit maleficus nec incantator, neque phitones cōſulat, nec diuinos, & querat à mortuis veritatem: Omnia enim hæc abominatur Dominus.

*Deut. 6.* *Contra Superſitiones.* Proce. Dominum Deum tuum timebis, & illi ſoli feruies.

*i. Ioan. 5.* *De natura aeterni & veri Dei.* Proce. Scimus quoniam filius Dei venit, & dedit nobis ſenſum, vt cognoscamus verum Deum. Ipſe enim vnigenitus Dei patris in hoc natus eſt, & ad hoc venit in mundum, vt testimonium perhibeat veritati.

*De diuina eſſentia.* Nondū eſt inuentum.

*De re-*

*De venustate mundi & pulchritudine Dei.* Proce. Vnus eſt altissimus creator omniū, *Eccles. 1.* omnipotens rex metuendus nimis, ſedens super thronum, dominans Deus.

*Creaturarum in ordinem ad Deum confide- ratio Theologica.* Proce. Deleſtaſti me Do- mine in factura tua, & in operibus manuū tuarum exultabo.

*De diſtantia perfectionis diuina & huma- na.* Proce. Eſtote perfecti ſicut & pater *Matt. 5.* vester cœleſtis perfectus eſt.

*De munificencia & beneficijs Dei.* Proce. *Psalm. 91.* Anima mea desiderauit te in nocte, o vni- genite Patris aeterni, ſed & Spiritus meus *Ezai. 29.* in præcordijs meis ſitiuit in te.

*De laudibus superlaudabilis Dei.* Proce. O Deus prætantissime, tu bonus natura- liter dominator altissime.

*Laudes Dei deuotissimæ.* Proce. Tu Do- mine Deus noſter naturaliter bonus es.

*De donis Spiritus Sancti, lib. 4.* Proce. Quis *Sapien. 93.* hominum poterit ſcire conſilium Dei? aut quis poterit cogitare quid velit Deus? niſi tu dederis ſapientiam, & misericordiam tuum de cœlī.

*Hora de Sanctissima Trinitate.* Proce. Ad- fit nobis ſemper immensa tua clementia Deus omnipotens Trinitas adoranda.

*Hora deuotissima de Paſſione Domini noſtri Iesu*

*Psalm. 69.* I E S V Christi. Proce. Deus in adiutorium meum intende.

*Meditationes sive de modo recordationis dominicae Passionis.* Huc librum aliqui eundem afferunt iam olim euulgatum sub titulo, *De vita & beneficijs salvatoris*, cuius orationes habent plerunq; exordia: Benedico & gratias ago tibi Domine. Proce. autem est. Si desideras perfectè mundari à vitijs, si nobiliter ditari in virtutibus, si altissimè illuminari in scripturis, si gloriösè triumphare de inimicis, si copiosè consolari in aduersis, si deuotè conuersari in terris, si frequenter compungi in cubilibus, si dulciter flere in orationibus, si frequenter accendi in meditationibus, si perfeuerare in bonis actibus, si repleri spiritualibus gaudijs, si rapi in excessu metis, si dimeris frui secretis, si feliciter mori in extremis, si perenniter regnare in celis, exerce te in vita, & in passione I E S V Christi filij Dei.

*Rom. 5.* *Expositio Dominicæ passionis secundum quatuor Evangelistas.* Proce. Reconciliati sumus Deo per mortem filij eius.

*Psalm. 110.* *Expositio Missæ.* Proce. Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus, escam dedit timentibus se.

*Dialogus de celebratione & sacramento Altaris.*

*tari.* Proce. Quiçunque manducauerit <sup>1. Cor. 11.</sup> panem hunc, & biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini.

*Tractatus de sacra Communione frequentanda.* Proce. Qui præst, in solicitudine <sup>Rom. 12.</sup> præst.

*Sermones sex de venerabili Sacramento.*

Proce. Caro mea vere est cibus. <sup>Ioh. 6.</sup>

*De laudibus Beatis virginis MARIÆ, lib.*

*4.* Proce. Quæ est ista quæ progreditur <sup>Cant. 6.</sup> quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt Sol, &c.

*De praeconio & dignitate eiusdem* <sup>libr. 4.</sup> Proce. Inimicitias ponam inter te & mu- <sup>Genes. 3.</sup> lierem, ipsa conteret caput tuum, & tu in- fidiaberis calcaneo eius.

*De mutua cognitione in patria.* Proce. Pa- <sup>Ephes. 4.</sup> ter gloria dat vobis spiritum sapientiæ in agnitione eius.

*De sanctorum reliquiarum & veneratione,* & modo agendi Procesiones. Proce. Zelus *psalm. 68.* domus tuæ comedit me.

*¶ Tituli operum quibus formatur status hominum.*

*De causa diueritatis eveniuntum.*

*De deformatione & reformatione Ecclesie.* Nondum inuentum.

*De autoritate & officio Summi Pontificis.*

*Luc. 10.* Proce. Confitebor tibi pater Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudéti bus, & reuelasti parvulis.

*Eccles. 4.* De potestate & iurisdictione Summi Pontificis. Proce. Pro iustitia agonizare pro anima tua, & usque ad mortem certa pro iustitia, & Deus expugnabit pro te.

*Eccles. vlt.* De authoritate generalium Conciliorum. Proce. Verba sapientum quasi stimuli, & quasi clavi in altum defixi, quæ per magistrorum conciliū data sunt à pastore uno, his amplius fili mi ne requiras.

*Agor. 20.* De vita & regimine Praefulum. Proce. Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.

*Sapien. 6.* De officio, vita, & regimine Archidiaconorum. Proce. Iudicium durissimum in his qui præfunt, fiet.

De regimine Pralatorū. Nondum inuentum.

De officio Legati. Nondum inuentum.

De vita & statu Canonicorum, Sacerdotum & ministrorum Ecclesie. Proce. Maledictus homo qui facit opus Dei negligeret.

*Hierem. 48.* Dialogus siue colloquium inter Patronum & Canonicum. Proce. Quoniam me peccatorem grauem intueor, quid mirum si per meip-

CARTVSIANA. 71  
me ipsum Deum iudicem iustum accederem re verear.

De vita & regimine Curatorum. Proce. Sacerdotes Sancti erunt Deo suo, & non polluent nomen eius, incésum enim Domini & panes Dei sui offerunt, ideo Sancti erunt.

De honesta conuersatione Clericorum. Non-dum inuentum.

De doctrina Scholasticorum. Proce. Quemadmodum Aristoteles in libro ait Politicorum. Sicut omnium animalium optimum extat homo, si scientijs atq; virtutibus decoretur, sic inter animantia vniuersa viliissimum prauissimumque consistit, si rationis gubernaculo derelicto, per vitiorum deuia gradatur, ignorantia tenebris se inuoluens.

De vita Nobilium. Proce. Quicunq; glorificauerit me glorificabo eum, qui autem contemnunt me erunt ignobiles.

De regimine Principum, lib. 3. Proce. Audite Reges & Duces, & intelligite Principes, discite iuuenes finium terræ, diligite lumen sapientiæ omnes qui præfertis populis. Si delectamini in sedibus & in scēnis, diligite sapiētiam, ut in perpetuum regnetis.

Dialogus inter Christum & Principē. Non-dum inuentum.

*Diplogus inter Christum, & principijsam.*

*Psalm. 12.* Proce. Illumina Domine Deus meus oculos meos, ne vñquā obdormiam in mortem.

*2. Tim. 2.* *De vita militari.* Proce. Labora sicut bonus miles Christi.

*Leuit. 13.* *De vita mercatorum, & iusto pretio rerum.* Proce. Nolite facere iniquum in iudicio, & pondere, in mensura, in regula, nec decipiatis vñusquisq; proximum suum.

*Eccles. 10.* *De regime Politia.* Proce. Secundum iudicem populi, sic & ministri eius. Qualis est rector ciuitatis, tales sunt inhabitantes in ea.

*Genes. 2.* *De laudabili vita Coniugatorum.* Proce. Dixit Dominus Deus: non est bonū hominem esse solum, faciamus ergo illi adiutorium simile sibi.

*1. Cor. 7.* *De laudabili vita Virginum.* Proce. Virgo cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta corpore & spiritu.

*Genes. 18.* *Inter Iesum & senem Dialogum.* Proce. Ne indigneris Domine Iesu, si loquar ad te Dominum Deum meum, quum sim puluis & ciuis.

*Marc. 10.* *Inter Iesum & puerum Dialogus.* Proce. Complexens Iesu paruos, imposuit manus super illos & benedixit eos.

*De vita & exemplis antiquorum Patrum.* Nondum inuentum.

Depre-

*De praeconio, siue laude Ordinis Cartusiensis.* Proce. Qui autem sunt Christi, carnem, Galat. 5. suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs.

*Enarratio in tertiam regulam S. Francisci.* Proce. Quicunq; hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, & misericordia super Israel Dei. Galat. 6.

*De reformatione Claustralium.* Proce. Omnia honeste, & secundum ordinem fiant in vobis. 1. cor. 14.

*De reformatione Monialium.* Proce. Vox cant. 2. sponsi: Aperi mihi foror mea Sponsa.

*De vita Solitariorum.* Proce. Sedebit soli. Tren. 3. tarius & tacebit, quia leuabit se super se.

*De vita & fine solitaryj.* Proce. Super quæ Esaï. 66. requiescet Spiritus meus, ait Deus benedictus, nisi super humilem & quietum, & tenentem sermones meos.

*De laude & praeconio solitaria vita.* Proce. 2. Marc. 6. Dixit Iesus discipulis: Venite seorsum in desertum locum, & requiescite pusillum.

*De vita Inclusarum.* Proce. Quam magna Psalm. 30. multitudo dulcedinis tuae Domine.

¶ *Tituli eorum operum, quæ premisso status in felicem dirigunt finem.*

*Sermonum opus primum de tempore, cum enarrationibus Euangeliorum & Epistolarum.*

*Malach. 2.* *dominalium ad seculares.* Proce. Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem de ore eius requirent, quia angelus Domini exercitum est.

*Eccles. 4.* *Secundum opus ad eosdem, eodem modo de Sanctis.* Proce. Laudemus viros gloriosos & patres nostros.

*Hebr. 3.* *Sermonum opus tertium de tempore ad religiosos.* Proce. Fratres sancti vocationis cœlestis participes, considerate Apostolum & Pontificem confessionis veltrę Iesum.

*Jacob. 1.* *Quartum opus sermonum ad religiosos de Sanctis.* Proce. Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem hæc est, immaculatum se custodire ab hoc seculo.

*Matth. 7.* *Summa de virtutibus & virtutibus, sive illuminatorum salutaris scientie.* Proce. Qui cōuerterti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operit multititudinem peccatorum.

*2. Cor. 5.* *Contrapluralitatem Beneficiorum.* Proce. Lata est porta & spaciosa via quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrât per eam. Quâ angusta porta & arcta via quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt eam.

*Matth. 18.* *Contra Simoniam, lib. 1.* Proce. Gratis accepistis, gratis date.

*Allig. 8.* *Contra Simoniam, lib. 2.* Proce. Pecunia tua

tecum sit in perditione, existimasti enim donum Dei pecunia possideri.

*Contra Avaritiam.* Proce. Venerabili ac deuotæ persona.

*Contra Ambitionem.* Proce. Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem nō sic, sed qui maior est in vobis, fiat sicut iunior, & qui præcessor est, sicut miniiter.

*Contra vitium proprietatis Monachorum.* Proce. Primo videndum quid dicatur peculium.

*Contra detestabilem cordis inordinationem in diuinis laudibus, alias inscriptis laus Cartusiana.* Proce. Musæ morientes perdunt *Eccles. 10.* suavitatem vnguenti.

*De modo deuotè psallendi.* Proce. In omnini opere David dedit confessionem Deo excelsø & sancto in verbo gloriæ, & de omni corde suo laudauit Deum, & dilexit Dominum qui fecit illum.

*De modo & ordine iudicandi & corripiendi.* Proce. Quæstionem mihi propo-  
suisti.

*De actu Visitationis.* Nondū inuentum.

*De grauitate ac enormitate peccati.* Proce. *Iob. 29.* Deus solus est, & cognitionem eius nemo auertere potest, idcirco à facie eius turbatus sum, & cōsideras eū, timore solicitor.

*Osee 14.*

*Dialogus de conuersione peccatorū.* Proce. Conuertere ad Dominum Deum, quoniam corruisti in iniuitate tua.

*Mich. 16.*

*De arcta via salutis, & contemptum mundi.* Proce. Indicabo tibi ô homo quid sit bonum, aut quid requirat Dominus à te, ut que facere iudicium & iustitiam, & sollicitum ambulare cum Deo.

*Ephes. 5.*

*Speculum amatorum mundi.* Proce. Vide te quomodo caute ambuletis, non quasi insipientes, sed vt sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.

*Luce 9.*

*Institutio sue exhortatorium nouitiorum.* Proce. Nemo mittens manum suam ad aratum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.

*1. Cor. 13.*

*De votis & profētione Religiosorum.* Proce. Excellentiorēm viam vobis demonstro. Si linguis hominū loquar & angelorum, charitatem autem nō habeam, factus sum velut æs sonans, & cymbalum tinniens.

*Psalm. 18.*

*De fructuosa temporis deductione.* Proce. Seruaci mandata tua, & testimonia tua, quia omnes via meæ in conspectu tuo.

*De triplici via.* Nondum inuentum.

*De via Purgatiua.* Proce. Volens purgari de peccatis, gratiam & indulgentiam consequi salutarem, in scripturis illuminari, & tandem totus Christo in ardescere.

*De via purgativa Exercitium.* Proce. Sic ut di-

ut dicit Apostolus: Stultum fecit Deus sapientiā huius mundi, mundus enim stultum reputat scientiam Dei.

*De mortificatione viuificia & reformatione interna.* Proce. Pro omnibus mortuus est 1. Cor. 5. Christus, vt qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est.

*De fonte lucis & seminis vita.* Proce. Quis osea. 14. sapiens ac intelliget ista? intelligens & sciens hæc? quia rectæ viæ Domini, & iusti ambulabunt in eis, præuaricatores vero cofruent in eis.

*De remedij temptationum.* Proce. Militia Job. 7. est vita hominis super terram.

*De discretione Spirituum* Nondum inuentum.

*De passionibus Anima.* Proce. Primus homo de terra terrenus: secundus homo de cœlo cœlestis. Igitur sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœlestis.

*De puritate & felicitate Anima.* Proce. Mathe. 5. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.

*Cordialia, siue Præcordiale.* Proce. Quid pron. 31. dilecte mi? quid dilecte cordis mei? quid est amantissime frater? Ne dederis cor tuum vanitati, neque dispersas anima tuam in multis.

*De custodia Cordu, & profectu spirituali.* Proce.

78      BIBLIOTHECA

*Ecclesiasticus.* Proce. *Gratia super gratiam mulier sancta, pudorata & tacita.*

*Romanorum. 15.* *De gaudio Spirituali.* Proce. Deus spei repleat nos omni pace & gaudio in credendo, vt abundemus in spe & virtute Spiritus sancti.

*Rom. 12.* *De pace interna.* Proce. Deus patientiae & solitutis det nobis id ipsum sapere in alterum secundum Iesum Christum, ut vñanimes vno ore honorificemus Deum & patrem Domini nostri Iesu Christi.

*De eleuatione mentis in Deum.* Nondum inuentum.

*De Oratione.* Proce. Oportet semper orare & non deficere.

*De Meditatione.* Proce. Cogitationes meæ variae succedunt sibi, & mens in diuersum rapitur.

*De Contemplatione.* Proce. Sapientiam amavi & exquisiui à iuuetute mea, & quæsiui Sponsam eam mihi assumere, & amator factus sum formæ illius.

*Autor. 2.* *Sonus epulantus.* Proce. Omnes qui credebant erant pariter, & habebant omnia communia. Possessiones & substâtias vendebant, & diuidebant illa omnibus, prout cuique opus erat.

*Dekret. 4.* *Inflammatorium divini amoris.* Proce. Quid dominus Deus tuº requirit à te, nisi vt diligas eum in toto corde tuo, & in tota anima

CARTVSIANA.      79

anima tua, & omnibus viribus, & ambules in omnibus vijs ipsius?

*Dialogus de charitatis profectu.* Nondum est inuentum.

*Dialogus de perfectione charitatis.* Nondum inuentum.

*De regulis vite Christianorum.* Proce. Qui 1. *Ioan. 2.* dicit se in Christo mapere, debet sicut Christus ambulauit, & ipse ambulare. Nondum est inuentum.

*De particulari iudicio & obitu singulorum.* Proce. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat vnuquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum siue malum.

*De quatuor hominibus nouissimis.* Proce. Gens <sup>Dent. 23.</sup> absque consilio est & sine prudentia, vitam saperent & intelligerent, ac nouissima prouiderent.

*Collationes duas pro Capitulo generali Ordinis Cartusiensi.*

*Collatio missa Capitul. generali fratrum Minorum de Observantia.*

*Epistola ad vniuersos Principes Christianos.*

*Epistola multa ad Car. Nico. de Cusa Leg.*

*Epistol. ad Episc. Leodiens. Ioan. de Hynsberg.*

*Epistol. ad Episc. Leodiens. Ludovicum de Bourbon.*

*Epist.*

*Epist. ad Episc. Monasteriens. Ducem Bavarie.*

*Epist. ad Episc. Traiectens. David de Burgundia.*

*Epistola ad Principes Geldrie.*

*Epistola de cursu ad S. Michaellem. Proce.*  
*De supet illuftrari.*

*Epistola contra defperationem.*

*Epistolā pro quodā tribulato. Proce. Chārissime Pater, vestræ afflictioni multum condoleo, tamen si informationem accipere vultis, in promptu est medicina.*

*Epistola Confolatoria ad quādam Viduam.*

*Epistola ad Arnoldum Campion. Aduocatū & Iuris Doctorem, quā respondet quibusdam satis arduis questionib⁹:*

*Elegia de Iudicio mortis, & varijs casibus eius. Proce. Lex metuenda premit, mortalibus omnibus vna.*

*Et varia item alia Carminum genera: Sermones, Collationes, Epistola & solutiones dubiorum sine numero.*

*Apocalypsis sive reuelationes sibi à Domino Deo facta.*

Finis Elenchi.

D. DION.

*D. DIONYSII CARTVSIANI protestatio ad superiorem suum, quo motiuo sua in utrumque testamen- tum conscripserit commenta- ria, operaquē reli- qua.*

**E**go frater DIONYSIUS toto cor- de profiteor, quod sacram Scriptu- ram exponere, paruitatem meam omni- nō transcendi, tam quantum ad scientiam & rationem professionis (quia Monachus sum, cuius est lugere & illuminari, potius quam docere vel illuminare) quam ratio- ne vitæ meæ, intantum imperfectæ & mi- seræ: sed in bonitate & gratia Spiritus sancti, qui abiecta & contemptibilia, & ea quæ non sunt, infirma quoque & itulta mundi eligere consuevit, confidens, huc usque exercitium istud cōtinuavi, & quā- tum in me est, paratus sum prosequi, dū- modo sapientiæ vestræ iudicio placitum fuerit. Deprecor autem bonitatem Spir- itus sancti, vt in id quod est magis ad glo- riā suā, & meum & aliorū profectum, mentem vestrā inclinare dignetur. Pre- terea fateor, quod quantum meipsum pro viribus examinando reprehendere queo, non sum mihi conscius, quod ex aliqua

F

vani-